

ARCO (Nicolo)

NUMERI (6623 vers)

Le texte donné ici est celui de 'NUMERI QUI FERUNTUR OMNES' publié en 1995, à Trente, par Mariano Welber, dans sa version numérisée disponible sur le site 'Perseus collection'.

Le texte (ou les textes) dont il est parti semble avoir été largement lacuneux, ce qui l'a conduit à proposer de nombreuses restitutions, en s'appuyant sur le sens du contexte, mais, hélas, en oubliant de tenir compte de la contrainte métrique. Nous avons, quand cela était possible, proposé d'autres corrections et restitutions. Ajoutons que, comme toujours, la numérisation incontrôlée a ajouté son lot de lectures fautives.

Autre difficulté de taille : dans huit pièces, en particulier, (35,109 ?, 292, 314, 333, 334, 347, 382), le poète semble s'émanciper des formes et combinaisons métriques traditionnelles et créer des types de vers que nous n'avons jamais rencontrés (ils seraient surtout iambiques, s'ils ne contenaient, presque toujours, un élément trochaïque irréductible). L'explication est peut-être donnée par le titre de la pièce 347, où le poète indique que c'est une « ODE SOLUTA » : il s'agirait donc de pièces en vers libres, dont certains, de plus, seraient des improvisations métriques...

N_1 v.1 Non est iste calor febriculosus
 2 quo me cernitis, hospites, peruri :
 3 verum est vis rabidi aestuans Amoris
 4 quae depascitur ossa, quae medullas
 5 et cor depopulatur, et cruorem
 6 vitalem mihi perbibit maligna.
 7 Non idcirco tamen, puer, vocato
 8 infames medicos mutoniatos,
 9 ne quicquam mihi dent mali veneni ;
 10 sed dic ut veniat mea Ipsitilla
 11 quae apportet mihi mille basiorum
 12 mellitis labiis et ore hiulco :
 13 haec nostri medicina sit caloris.

DE MARTE AMANTE PALLADA

N_2 v.1 Mars Veneris quondam carae est exosus amores :
 2 quis putet ? Amisit fabula prisca fidem,
 3 dumque colit terras, Violanthida deperit unam ;
 4 rem miram : Mavors Palladis igne calet.

DE VENERE THEIA

N_3 v.1 Cypria, frenatis percurrens aethera cynis,
 2 Federicum Theiique aurea tecta videt.
 3 "Roma, vale, Cyprosqe - inquit - hic otia degam ;

4 hic Roma, hic Cypros : Mars meus hic habitat.
 5 Antehac si me igitur dixerunt Cyprida vates,
 6 ex isto dicar tempore Teia Venus."

MADRUTIIUM CARDINALEM TRIDENTINUM ROMA ALLOQUITUR

N_4 v.1 Si votis hominum respondent numina divum
 2 et si pro meritis congrua quisque refert,
 3 Madruti, nostras moderaberis - auguror - arces :
 4 haec te pro meritis regna beata manent.

N_5 v.1 Sergius est dives : quidni ? Qui possidet hortos
 2 defuncti fratris, oppida, prata, casas.
 3 Sergius improbus est : quidni ? Qui monstra facit cum
 4 cognata, et fratris conscelerat thalamum.

FEDERICI ILLUSTRISSIMI DUCIS MANTUAE PROLES SECUNDA

N_6 v.1 Sidera dum ducunt choreas nascente secunda
 2 progenie Mantus, solito dum purior aer,
 3 et fecunda novo vestitur gramine tellus
 4 illustriumque patrum pertentat corda voluptas,
 5 consociate illis vos, Minci et Mantua, plausum
 6 luce sacra et quarta semper florentis aprilis,
 7 ut caeli terraque simul sint gaudia mixta.

AD LAGARINUM

N_7 v.1 Olim Aganippeos, Lagarine, haurire liquores
 2 suetus eras, at nunc perplacet unda Tagi.

INVOCATIO OPERIS

N_8 v.1 Pontani manes et docti sacra Catulli,
 2 me sinite e vestro fonte levare sitim.
 3 Felices animae, vestigia sancta docete
 4 atque ubi priscorum est orbita facta patrum.
 5 Audax ingrediar vestrum nemus et pede dextro
 6 vos ego Parnasi per juga celsa sequar.
 7 Este duces, et me sublimem attollite caelo,
 8 ut volitem aeterna laude per ora virum.

N_9 v.1 Est mihi Federicus semper deus. Ipse sepulcro
 2 illius et flores sartaque odora feram
 3 et tumulo sacros manes umbramque ciebo
 4 vota status statuens annua temporibus.

N_10 v.1 Mantua, Federico, pulcherrima, principe gaudes
 2 et frueris Jove felici divisque secundis,
 3 numine tuta tuo, nec saevo obnoxia Marti.
 4 At nos, infelix quos jam Verona creavit

5 eduxitque solo infausto, rerum omnium egeni
 6 cogimur antiquas sedes et dulcia tecta
 7 linquere et externas errando quaerere gentes.
 8 Nos bella et quicquid miserandum et quicquid acerbum est
 9 exagitat : nostras populatur barbarus aedes
 10 Italiae exsultans spoliis praedaeque cruentus
 11 vi potitur ; nobis ostendunt omnia letum ;
 12 omnia sunt deserta et spes est nulla salutis.
 13 Hoc erat auguriis olim, quod saepe deorum
 14 vidimus infando crinitos igne cometas
 15 e caelo ruere et diras facies animantum
 16 saepe sub obscurum nocte apparere silenti.
 17 Vidimus altum Athesim spumantem sanguine taetro
 18 vorticibus rapidis ; excelsa cacumina Baldi
 19 fulmine dejecit divum pater, et pastores
 20 terruit et deserta ipsi magalia silvis
 21 deseruere ; ipsi flerunt cum matribus agni,
 22 pastores nisi vana ferunt ; nemora alta dedere
 23 ingentes gemitus et robora suspirarunt.
 24 Continuo invasere domos bellumque famesque,
 25 dira utraque lues, sed pestis peior utroque,
 26 ah dirum exitium, errupit de faucibus Orci
 27 infecitque homines : aeger procumbit humi vir
 28 correptus tabe et gemitum dat pectore ab imo,
 29 torva tuens, vitam et tenues exhalat in auras
 30 crudelesque vocat superos atque aspera fata.
 31 At nos reliquiae pestis, miserabile visu,
 32 sive ira id superum sive hoc astra ipsa ferebant,
 33 et parvos trahimus natos carosque nepotes ;
 34 pars fessos patres senio et sine sanguine matres.
 35 O fortunatos vos o quibus ipsa dedere
 36 fata mori, quorum in patria saltem ossa quiescunt !
 37 Vos non captivos juvenes, non templa deorum
 38 vidistis dirrepta et lamentabile fatum,
 39 fatum quod sicco non cernat lumine miles
 40 Adriacus, quamvis sit tantae cladis origo.
 41 Tu vero quae magnanimo sub principe tuta es,
 42 Mantua, cui resonis applaudit Mincius undis,
 43 cujus ab Oceano fama usque ad sidera nota est,
 44 qui quotiens saevis acies diffulminat armis
 45 Mars pater huic galeam cedit currumque flagellumque,
 46 otia laeta diu teneas et pace fruaris,
 47 fulta deo meliore et nixa potentibus armis.
 48 Gaude igitur, Manto, vosque o quorum irrigat arva
 49 Eridanus : nos, Veronae infelicis alumni,
 50 fortunam profugi et crudelia fata sequemur
 51 qua nos cumque trahent, donec miseratus ab alto
 52 quis superum nostros casus, dabit his quoque finem
 53 rebus et ille malis hominum mansuescere discet.

BERNARDO CLESIO CARDINALI TRIDENTINO

N_11 v.1 Quum te purpureo decoratum Roma galero
 2 audiret : "Longe te meliora manent :
 3 ipse meas, Clesii, moderaberis - inquit - habenas.
 4 Hoc votum est hominum, sic pia fata dabunt".

ECLOGA SUB ALLEGORIA AD ILLUSTRISSIMUM FRANCISCUM MANTUAE SECUNDUM DUCEM
SUB PERSONA TITYRI

N_12 v.1 Inscere nunc, Galatea, puros, pone ordine vites :
2 barbarus has numquam miles habebit opes.
3 Inscere poma, tui carpent tua poma nepotes :
4 barbarus Italiae finibus exul erit.
5 Exul erit : fugiet, fugiet, male parta relinquet :
6 pascite vos, pueri, pascite ut ante boves.
7 Jam libertatis spes est : post tempore longo
8 fient colla gravi libera servitio.
9 Inscere nunc, Galatea, puros ; vos ite, capellae :
10 pascite jam salicem, pascite jam cytisum.
11 Non tibi sit tuguri cura, o Galatea ; quiesce :
12 Tityrus et tauros et tibi servat oves.
13 Ducite vos saltus per compita : ducite, Nymphae,
14 et nudate pedes, et celebrate diem.
15 Salva domus, Galatea, tua est : tibi floret arista ;
16 plena caprae referunt ubera lacte domum.
17 Tityre, te Galatea vocat : te, Tityre, silvae.
18 Duc pecudes pastum, Tityre : pelle sitim.
19 Tu picturatum buxi de fronde galerum
20 texe, Amarylli, tuae, texe, Amarylli, comae.
21 Carpe levem somnum donec, tua cura, palumbes
22 aera raucum murmure rupe gemunt,
23 et donec querulis resonant pineta cicadis
24 te sacra quercus protegat umbra coma.
25 Cumque tibi excubitor lucem praedixerit ales,
26 Tityrus incipiat ducere monte pecus."
27 Audiatur hanc vocem et timeat quicumque colonus
28 felici Ausoniae vomere sulcat humum.
29 Tityrus ipse venit : felix, Galatea, quiesce
30 nec metuas posthac, o Galatea, lupum ;
31 nec timeas pecudis scabiem : tibi nulla nocebunt
32 frigora, sit modo dux Tityrus inter oves,
33 hac igitur viridi et laeta projectus in herba,
34 ut serves pecus hoc, Tityre, tura feram.
35 Interea, Galatea, vale, Galatea, valeto
36 sintque tui curae deliciae domini.
37 Fortunata veni : semper tibi Tityrus adsit
38 candidior pecori candidiorque tuo.

AD LECTUM AMICAE BONONIENSIS

N_13 v.1 Lectule, qui suaves spiras lascivus odores
2 quique foves dominae mollia membra meae,
3 hoc ego te fletu decoro et te floribus orno
4 suspendens lacrimis humida sarta meis.
5 Et libet antiquos paulum renovare dolores
6 tecum et de domina, lectule, pauca queri
7 ut, si forte olim novisti gaudia nostra,
8 sis quoque nunc fletus conscius ipse mei.
9 Scis bene me quondam carae placuisse puellae
10 cum sincere ambos unus alebat amor :
11 nulla puella suo fuit umquam foedere tali
12 juncta viro ut nobis Flavia juncta fuit.
13 Lectule, tu saepe audisti quae verba locuta est,
14 Juppiter, illa mihi qualia pollicita est.
15 Quum mihi languidulis somnus penderet ocellis,
16 haerens illa mihi talia dicta dabat :

17 "Nulla dies umquam nostros delebit amores,
 18 nulla fidem nostram tempora dissolvent".
 19 Sed postquam patriae dulcis me cura coegit
 20 a domina parvo tempore abesse mea,
 21 illam mutavit subito deus : illa repente
 22 multivola est alii conciliata viro,
 23 sive quod ille prius nostrum simulabat amorem,
 24 seu quod praecipue foedifraga est mulier ;
 25 namque ubi conspexit venientem ad templa deum me :
 26 "I modo - ait - juvenis, i modo, quaere aliam".
 27 Nunc cernis quantis fortunae fluctibus errem,
 28 qualia et a misero praemia amore feram.
 29 Idcirco haud potui tantum reticere dolorem :
 30 nam mea quis posthac membra tepefaciet ?
 31 Quod si forte illam posses lenire furentem,
 32 lectule, dic dominae talia verba meae :
 33 "Ipse puer Veneris qui dulcia miscet amaris,
 34 qui divum patrem temperat atque hominum,
 35 hoc jubet : ut parcas vati, ne carmine dicat
 36 te tam formosam non habuisse fidem."

ANTONIO PYRRHO. DE MORTE COTTAE

N_14 v.1 Pyrrhe, coronato juvet indulsisse Falerno
 2 et mentem dulci tradere nequitiae.
 3 Lude, bibas, dormi, ride, cane, amato, laveris :
 4 Otia, Amor, Genius sit comes et Bromius.
 5 Pluma, Venus, choreae, cyathi, puer, oscula, saltus,
 6 arguta et crepitent basiola in thalamo ;
 7 sit rosa, triclinia et calices crotalumque lyraeque,
 8 lascivum et roseo necte caput folio
 9 donec nulla tuae venerunt taedia vitae
 10 et juvenis vasto es inguine terribilis.
 11 Mors tacito venit atra pede et praeterfluit aetas
 12 muscoso ut flumen prosiliens lapide.
 13 Illa meum rapuit Cottam juvenilibus annis :
 14 illa decus virtutum abstulit et Veneris :
 15 illa eadem juvenem primo sub flore juventae
 16 nondum maturum dempsit acerba manu.
 17 Ah quoties dixi : "Romanae credere pesti
 18 nolli, in tam puro pectore natum animum :
 19 nam moriar de te ad nostras si venerit aures
 20 aut de te si quid tristius audiero."
 21 Et credo forsan mi spiritus exiliisset
 22 hesterna visus ni mihi nocte foret.
 23 Nam mihi : "Vive, puer - dixit - me fata tulerunt ;
 24 vive, puer, fato sed meliore meo",
 25 abstersitque oculos tenuesque evasit in auras ;
 26 inger millia mi vasa, puer, Bromii.
 27 Interea, Lalage, mellitae verbere linguae
 28 imprime suaviulum dulcius ambrosia ;
 29 hauri animam ex anima, sorbilla ex ore liquorem,
 30 roscida lascivis tange labella oculis.
 31 Cantemus : "Cotta, aeternum victure, valetio,
 32 o Veronensium, Cotta, decus juvenum.
 33 Hei mihi quod non te doctae potuere Camenae
 34 perpetuo aut Phebus demere ab exilio ?
 35 Sis felix, o Cotta, et felix, Cotta, quiescas
 36 in tua Romano quod tegit ossa solo :
 37 nos te immaturum fato ploramus ademptum

38 et pia cum maestis tura damus lacrimis."
 39 At tu, Pyrrhe, inter gelidum nemus incipe carmen
 40 jucundum et curis gaudia junge meis.
 41 Incipe, dic lenem suadentia carmina somnum
 42 Pontani lepidi naenia naeniola,
 43 aut modo quae Hippolytae modulans pro munere misi :
 44 - ut vidi perii, vos procul este viri -
 45 aut modo quae ad Lalagem scripsi - dulcissima cura
 46 est Lalage : quondam Flavia cara fuit :
 47 Flavia mobilior ventis crucieris oportet
 48 pro Lalage, cum me ut unicum amicum habeat -
 49 seu sordent haec, cantemus quae nocte serena
 50 plena sale effudi carmina Cecropio.
 51 Interea tu, Pyrrhe, adsis, nam vita malorum
 52 plena cupit dulces delicias animi ;
 53 et mors : "Vivite - ait - venio, vivatis, amici ;
 54 vivite, nam celeri clauda gradu venio."

N_15 v.1 A te non possum flagrantia declinare
 2 lumina, virgo oculis unica visa meis ;
 3 non possum hanc animam compescere suspirantem
 4 quae te conspecta nititur aufugere,
 5 quamvis nulla mei tibi sit clementia praesto,
 6 et quamquam miserum me patiari mori.
 7 Sed potius vitam hanc quam spiro amittere certum est
 8 quam te mutata destituisse fide ;
 9 nam promissa fides cordi est mihi : sed tua cur sic
 10 promissa in media scribere oportet aqua ?
 11 Promissa illa olim quam me sperare jubebas
 12 tamquam in amore tuo prospera cuncta forent ?
 13 Quum promissa dabas olim : "Mea verba teneto -
 14 dixisti - et memori condita corde feras".
 15 Dicebas : "Longa jucundior, unice, vita,
 16 cujus ero donec mortua pulvis ero,
 17 nulla dies unquam nostros oblitteret ignes :
 18 stemus et in nostro semper amore pares".
 19 At nunc vis audire meas neque reddere voces,
 20 perfida, nec dubitas eviolasse fidem.

N_16 v.1 (LACUNE)
 2 sperato et multo tempora sparge mero :
 3 conspicias ut ventura dedit bona signa Lyaeus
 4 utque virens medio palmite gemma tumet.
 5 Bella etiam procul hinc, procul hinc sint bella : nec enses
 6 classica nec somnum formidolosa fugent.
 7 Mars pater, aspira patriae : fera bella fugato.
 8 Hic nulla in nostro tela sonent latere ;
 9 hoc tonitru quod nocte venit nulla arma minetur ;
 10 significet nullas strix violenta minas :
 11 aut modo si bellum portenditur omine tali,
 12 nos frustra immeritos pertimuisse velis.
 13 Bella alibi insurgant, nos pax tranquilla quietos
 14 in patria teneat defficiente metu.
 15 Tunc templi ante tui manabit victima postes
 16 et loquar ante tuos mystica verba pedes.

IULIO TURRIANO VERONENSI

N_17 v.1 Juli, ni pigeat, tuos amores
 2 velim quam referas tuo poetae,
 3 quos ardes nimis impotente amore.
 4 Nam si sunt lepidi et satis venusti,
 5 volo scribere nec tacere possum ;
 6 si sunt illepidi ac inelegantes,
 7 volo ducere candidam puellam
 8 quae te sub teneris fovebit ulnis,
 9 quae te suscipiet benigno amore,
 10 quam suges simul osculaberisque.
 11 Sed dum te gremio fovebit illa,
 12 miscens millia basiationum,
 13 cave ne placidum tibi venenum
 14 instillet labiis et ore hiulco :
 15 nam dum haec basia porriget labellis,
 16 dum dulcem accipies suum liquorem
 17 et dulcem accipies in ore linguam,
 18 orabis subito deos deasque
 19 totum ut te faciant repente linguam.

SILVA

N_18 v.1 Et jam purpureo ex oriente Aurora resurgens
 2 extulit os roseum caelo tenebrasque fugavit
 3 alma, relucentes auro interplexa capillos ;
 4 et jam mane novo veteres Philomena querellas
 5 integrat et silvis fundit miserabile carmen :
 6 sit mihi fas etiam nostros memorare dolores.
 7 O Nymphae altorum nemorum, dum non coquit aestus
 8 ardentes campos nec terras findit hiulcas,
 9 vos audite meos, praesentia numina, quaestus,
 10 numina quae colitis nemora et loca cognita Phoebos.
 11 Dum queror indigno quod cogor amore perire,
 12 cur igitur nostri, cur non vos paenitet aerae,
 13 aerae hominum dulcis requies aestusque levamen ?
 14 Cur non vos tangit cura infelicis amantis
 15 qui toties errans per inhospita lustra ferarum,
 16 per scopulos, per saxa ruebat montibus altis
 17 maesta gemens, largoque rigabat flumina fletu
 18 clamorem attollens, cujus modo carmine rupes
 19 impulsae et resonis antra ingemere querellis ?
 20 Testes vos orn virides, quae saepe gementem
 21 vallibus umbrosis maestae excepistis in umbra
 22 sole sub ardenti, donec defessus et amens
 23 cogebat cantu nigrae decedere nocti
 24 "Nysa" vocans, te, Nysa, vocans : "Nysa" omne sonabat
 25 omne nemus Nysamque iterabat vallibus Echo,
 26 Echo Narcissum exspectans, Echo abdita silvis.
 27 Tempore non alio vidit me nocte jacentem
 28 mollibus in pratis Ticini prope litus amoenum
 29 Cynthia, furtivos hominum quae cernit amores.
 30 Crudelis sed Nysa meum despexit amorem,
 31 crudelis nimium nec nostris mota querellis.
 32 Sensit me tantis maeroribus extenuatum
 33 nec se se dedit in conspectum corde cupita ;
 34 illa nec est oculis post illo tempore nostris
 35 reddita, quo perii demens et funditus arsi :
 36 tantum inter silvas fugiens lucosque sonantes,

37 agglomerata choris Dryadum, tantum inter opacum
 38 it nemus et dulcem silvarum amplectitur umbram.
 39 Illam omnes venerantur Oreades, illa Dianae
 40 cara comes gratorum operum consorsque laborum :
 41 haec tenerum pharetra latus et succincta cothurno
 42 insectatur apros et nostrum fallit amorem.
 43 O Nysa, ingrathamque fidem sterilemque laborem
 44 conqueror, et quod nulla meis bene gratia factis
 45 respondet quodque incassum mea cura peracta est !
 46 Quam satius fuerat gratae servire puellae
 47 atque tegi coryllis cum Maenalio Meliboeo
 48 et sentire altis spirantem e vallibus auram,
 49 pascere et herboso niveos in flumine cygnos !
 50 O me felicem, si Flavia juncta fuisset,
 51 Flavia qua non Archensi sub vertice ad umbram
 52 texuit aut calathos autserta decentius ulla,
 53 seu caro juveni sive haec distingueret aris.
 54 Illam mille sibi sociam optavere Napaeae,
 55 hanc Fauni petiere et capripedes Satyrisci,
 56 tandem illa est omnes hos dedignata maritos :
 57 namque mihi jucunda quies, primisque sub annis
 58 miscuit haec curas et certos junxit amores.
 59 Et quid tum, roseis si Nysae est purpura labris,
 60 quid tum, si extersis ebur illi in dentibus albet ?
 61 At constans animi et mihi Flavia certa fuisset,
 62 et nostros ignes longumque bibisset amorem :
 63 illam ego donassem serpyllo et suavibus herbis ;
 64 Flavia me violis et viminea fiscella
 65 purpureoque amaranto et castaneis hirsutis
 66 donasset, mecum et gelida jacuisset in umbra.
 67 Tunc ipse illius referentia nomen ad astra
 68 carmina fudissem, quis quondam in vallibus Haemi
 69 Eurydicem et totis resonarat montibus Orpheus.
 70 Sed quid ego haec ? Nysae haud possum mutare calores.
 71 Cuncta tuus sepelivit amor - pulcherrima virgo -
 72 sive ita diis placitum est seu me tua forma coegit ;
 73 pone igitur fastus, tandem mansuescere discas
 74 neve tuo credas nimium formosa colori :
 75 nam vitae spatium incertum est properatque senectus ;
 76 mors avidas injecta manus et tarda vocantem
 77 auxilia ad tenebras atque atrum detrahet Orcum.
 78 Nunc o nunc oculos ad lumina nostra reflectas :
 79 pone iram et nostrae facilis jam parce juventae ;
 80 sit modus, et fore credo equidem, nam nostra voluntas
 81 est eadem : nam me vestris deus appulit oris.
 82 Sed rursus vacuas abeunt mea dicta per auras.
 83 Ah puer infelix, quae te fata aspera tangunt ?
 84 Nysae jam nulla est clementia ; saxa valete,
 85 et vos, felices fati melioris amantes,
 86 quos fortuna et dii ex imo ad convexa tulere,
 87 vivite felices : valeo, mea vita peracta est.
 88 Ecce ferar praiceps de verticibus praeruptis,
 89 hic ubi radices alti montis mare lambit.
 90 At vos, o vates, nostros cantabitis ignes
 91 et dabitur laurum et bene olentia sertae sepulchro,
 92 exemploque meo Nysae fugietis amores
 93 quae me infelicem miseranda morte peremit.

LYRICON

N_19 v.1 Arces sacratas et Capitolium,
 2 colles Quirini tectaque Caesarum
 3 Urbemque longaevam repostum
 4 mente sedet, dominamque Romam
 5 rerum videre et divitioribus
 6 ellata muris tecta Quiritium
 7 Tybrimque, quo circum sonoras
 8 ingeminant volucres querellas.
 9 Hic sumptuosae culmina porticus,
 10 hic et deorum templa, potentium
 11 aedes et annosas columnas
 12 cernere erit veteresque fontes.
 13 Hic et piorum reliquias patrum,
 14 manes verendos, atque reconditas
 15 flammaque consumptas edaci
 16 congeries tenuis favillae.
 17 Hic et volentis, Melpomene, volens
 18 cinget corona tempora laurea
 19 myrthoque collataque fronde
 20 caesariem dea consecrabit.

ELEGIA

N_20 v.1 Dii, prohibete minas : dii, talem avertite casum
 2 et ferte ominibus, dii, meliora meis.
 3 Somnia, ferte pedem procul hinc, temeraria, nec me
 4 efficite haec vanis credere imaginibus :
 5 omina falsa monent volucrum, neque nuntia veri
 6 vera monet Tuscis consuluisse focis.
 7 Si praesaga tamen veri neque falsa loquuntur,
 8 irrita fac nullam, Delia, habere fidem.
 9 Mane erat et nondum croceis evecta quadrigis
 10 Tithoni conjunx expulerat tenebras,
 11 cum subito infaustum cecinit de turre propinqua
 12 importuna malis vocibus omen avis :
 13 territus hoc vereor ne externis missus ab oris
 14 quis patrias hostis depopuletur opes ;
 15 attonitus vereor patriae ne bella minentur
 16 aut avis irato nuntiet ista deo.
 17 Dii patrii, servate igitur patriamque domumque
 18 finitimisque hostes pellite limitibus ;
 19 aut si certa manet patriae domuique ruina,
 20 aversaque meas sumitis aure preces,
 21 castra sequi libet et densata per agmina et ignes
 22 perque hostes medios irrequietus agar.
 23 Mars aderit, Bellona aderit, metuenda virago,
 24 quae caput ad cunctos circumaget strepitus.
 25 Dulce erit ut dicar juvenis subiisse labores
 26 pro patria immensos nec timuisse mori ;
 27 dulce erit ut dicar turma cinxisse cohortes
 28 et penitus turpi terga coacta fugae.
 29 Si deerunt vires, injuria suggeret iras :
 30 nusquam pro patria debilis ultor ero.
 31 Ferro adero, ferroque hostes perque aequora et undas
 32 ipso animo vires suppeditante sequar.
 33 Si tamen et post tot clades, post funera tanta,
 34 quis malus adverso tela figat latere,
 35 ossa brevi tumulo condantur nec mihi amomum

36 nec nostro cineri spiret inustus odor :
 37 nam sat erit tumulo si de me fama loquetur
 38 et si perpetuo carmine scriptus ero.
 39 Sed deus in melius tale omen vertat et illud
 40 Hippotades jubeat per mare ferre Notos.

AD LALAGEM (A)

N_21 v.1 Ne me conspicias, in me ne lumina torque
 2 et vela vultus et faciem, Lalage ;
 3 namque expurgavi mea crimina, crimina fassus :
 4 nunc interdictae sunt in amore viae.
 5 Dum poteram, sprevisti inopem, crudelis, amantem ;
 6 nunc ego non possum : dum nequeo, renuo.
 7 Dicebam : "Cape delicias atque oscula junge,
 8 dum licet, inque sinus laeta recurre meos."
 9 At tu lenta preces ac indurata querellas
 10 non poteras laetis auribus accipere ;
 11 et tibi dum moneo sterilis fastidia lecti,
 12 dum tibi suavioli dimidium eripio
 13 dumque tuo cupio circumdare brachia collo,
 14 passa es me cunctis excruciare modis :
 15 quin etiam saevo atque infixo dente labellis
 16 fixisti morsus unguibus horribiles,
 17 et mihi tunc trepidi praeclusus anhellitus oris,
 18 dum tango sparsas per tua colla comas.
 19 Dicebam : "Lalage, tempus fugit ocus Euro",
 20 at tu irata mihi terga dabas misero.
 21 Dicebam : "Nudato sinus, nudato papillas :
 22 junge cupidineis otia temporibus" ;
 23 dicebas : "Ne me crucia, ne tange, poeta.
 24 Esto procul : non sum, non sum ego quae fueram".
 25 Jurgia jactabas : male mi mala multa precata es
 26 taurino superis sanguine pollicito.
 27 Nunc abiere dies, fugit acceptabile tempus :
 28 occlusus tenebris nunc requiescit Amor.
 29 Quaere alios igitur, Lalage crudelis, amantes ;
 30 ure alium aut alium, perde alium aut alium :
 31 at nos aeterno reddemus vota pudori
 32 custodietque domus casta pudicitiam.

ALIA PARTICULA HUIUS ELEGIAE (B)

33 Fibula Lampsatio nunc est ponenda Priapo,
 34 lascivam ignavus ne ruat in Venerem :
 35 mentula, adulteriis tacitos cohibeto furores,
 36 ne raphani currant inter adulteria.
 37 Tu tamen interea nulli concedito amorem,
 38 o Lalage, et serva casta pudicitiam.
 39 Tempa petas humilisque deos et templa revise :
 40 imprimis magnos et venerare deos.
 41 Limina cinge rosa et violis et fronde recenti
 42 et fac ne in triviis sint sine flore lares.
 43 Restituas mihi cor furtivaque claustra relaxa :
 44 aversa fures negligit aure deus.
 45 At postquam ventura dies accedet aprilis,
 46 tecum ego continuos pervigilabo dies.
 47 Tunc mensis Veneris sacer est, tunc rustica pubes
 48 mense incomposita carmina voce canit
 49 et cantans per agros : "Sobolem da, Cypria : prolem

50 da agricolis, Cypron qui colis atque Paphon",
 51 ponit et ante aras niveas de more columbas
 52 statque coronata ligneus aede deus.
 53 Tunc si non, Lalage, fugias - in rupe latebo
 54 sacra videns Veneris - tunc ego sacra feram ;
 55 inter nos volo tunc pactum hoc ineamus amantes :
 56 ipsa petas quum vis, des mihi quum cupio.

CONVIVIUM ET ILLUSTRISSE ELEONORA LAUDES

N_22 v.1 Quam timui nuper ne dum inter pocula et inter
 2 formosas sedeo saxeus efficerer ;
 3 quam timui ne dum mortalia numina cerno
 4 spiritus aegram animam linqueret exiliens !
 5 Namque steti ut cupido conjuncta puella marito
 6 quae vix experta est dulcia furta tori
 7 et carum retinens sponsum sub veste locatum
 8 adventu patris protinus excutitur :
 9 tunc pudor ingenuus gratumque effundit honorem
 10 virginis ante oculos candida simplicitas ;
 11 sic mihi suffusi manabant ore rubores
 12 luteolisque color pallidior violis.
 13 Dicebam mecum haec : "Flamma est tibi, flamma parata est :
 14 i procul hinc" ; mecum saepius erubui.
 15 Attonitus circumspiciens mirabar Amores
 16 qui tristes animos exhilarare solent.
 17 Hic ego nescio quid magnum et caeleste videbar
 18 aspicere : humanae hoc non erat artis opus.
 19 Mirabar castum pectus, mirabar ocellos
 20 quos nitidus propriis fecit Amor manibus.
 21 Mirabar veluti solis nitor obscuratus
 22 nusquam de obscuris nubibus exierat ;
 23 mirabar caput et radiantia colla dearum,
 24 saepe aliam atque aliam, saepe aliam atque aliam.
 25 Idcirco, saeculis ne obliviscentibus aetas
 26 deleat haec, scribendo anxius invigilo :
 27 id gratum est Musis, grata est meminisse voluptas ;
 28 vos igitur, doctae, pergite, Pierides.
 29 Navita turbati jactatus turbine ponti
 30 iratum gaudet se superasse salum
 31 et puppem quassatam undis de more coronat
 32 persolvens udis munera litoribus ;
 33 sic gratum est superasse ignem et vicisse periculum :
 34 hinc de me numquam fama tacebit anus.
 35 Accipito hoc jucunde meum, Scaramucia, carmen
 36 nec dedigneris hospitis officium.
 37 Namque hos Musarum decrevi expromere fetus
 38 et dare parva tibi, maxima quum nequeam.
 39 Quod me dii bene ament ; ita me fortunet Apollo
 40 et faciat quae opto singula perficere
 41 puriter : ut quodcumque canam et quodcumque fatebor
 42 utque erit, hoc casti quod loquar ingenii.
 43 Elleonora mihi ante omnes pulcherrima visa est :
 44 cogor ego ingenue id dicere et ex animo -
 45 vera fatebor enim - si coner dicere laudes
 46 illius, haud satis est sole oriente dies.
 47 Ingenium huic praecox dedit et dedit ille nitorem
 48 ortus qui astrorum temperat atque obitus.
 49 Haec dum essem casu et fortuna oppressus acerba
 50 naufragus a mortis limine restituit ;

51 illa eadem quum me caelesti lumine vidit
 52 curarum nebulam dispulit ex animo ;
 53 illa eadem Charites caeloque vocavit Amorem
 54 qui gyro allatus sederat aereo.
 55 Hanc flamma undanti stipabat veste Cupido
 56 qui circumsiliens seminat illecebras.
 57 Roscidulo haec fert ore rosam et jaculat Amores ;
 58 ingenua huic Cypris fronte supervehitur ;
 59 instillat mellitum imbrem labrisque liquorem ;
 60 flava inhonorato est vertice caesaries.
 61 Hinc illa dignum et dignum illa et regium adepta est
 62 pollicitum caeli munere conjugium :
 63 huic dulcis conjunx, Scaramucia, flore juventae
 64 emeruit zonam solvere virgineam.
 65 Optato junxit felix Cytherea cubilli
 66 una anima bina corpora juncta simul :
 67 compare non gaudet tam turture turtur in ulmo
 68 mordenti rostro basiola ingeminans,
 69 quam sincera fides ab utraque est parte reperta
 70 illis, pacatoque comes in thalamo.
 71 Nec tantum gratus telluri vere maritus
 72 est imber quantum est mutui amoris amor ;
 73 nec tantum rivus sitiienti aestate repertus
 74 seu fons muscoso pumice prosiliens.
 75 Quid referam cum formosum, sua pignora, partum
 76 progeniemque inter brachia suscipiunt ?
 77 Sive vident balbus quum ludit (parvus in) aula :
 78 cor salit his, trepidant pectore laetitia ;
 79 sive vident patris tangentem affixa tropaea,
 80 pluribus erreptas regibus exuvias.
 81 Hoc puero surgente canunt (mala) saecula Parcae,
 82 surgente hoc puero dii meliora dabunt.
 83 Dii meliora ferent, surget melioribus annis
 84 ni aspecto dudum fallimur augurio.
 85 Aurea succrescent surgente hoc saecula, ni me
 86 frustravit niveis Delius alitibus.
 87 Quid referam ? Illorum nusquam orta est rixa cubili,
 88 rixa tori et virtutum omnium amara lues.
 89 "Cor" vocat illa, vocat "Vitam", vocat ille "Levamen",
 90 "Liliolum" haec "Lucem" hic, haec " Animam", hic "Animam".
 91 Illa dea est cujus si dent mihi fata senectam
 92 egregium in solo nomine opus faciam ;
 93 illa dea est cujus si dent mihi fata senectam
 94 carminibus longas ordiar Iliadas.
 95 Vive igitur, dea, vive diu, sis omine felix
 96 quod Cytherea tuas intulit in tabulas.
 97 Sitis felices et tu simul et tuus infans
 98 et conjunx quo non alter amabilior,
 99 qui victor, qui magnanimus post bella quiescit
 100 et post tot durae tempora militiae,
 101 cujus si Musae mihi dent in carmine vires
 102 facta canam ut gemina laude triumphus eat,
 103 cujus si Musae mihi dent in carmine vires
 104 nomina clara leget invida posteritas :
 105 vive deum auspicio dulci sociata marito
 106 magnus ut aeterna te deus auctet ope.
 107 At quis non arsisset uti Trinacria rupes
 108 aut leviae Aetnaeis saxa perusta jugis,
 109 si sponsam videat cui lux meliore lapillo
 110 et signanda venit candidiore nota ?
 111 "Pace tua - fari liceat - huic cede, Diana ;

112 pulchrior haec est te " diceret Endymion.
 113 Si videat quisquam nativo ut lumine fuscum
 114 caelum omne irradiet, hanc putet esse deam.
 115 Haec dulci conjuncta viro, conjuncta marito,
 116 stillat ab ore omnes delicias animi :
 117 cui tam felicem portendunt astra quietem,
 118 quae tam felici jungitur auspicio
 119 quaeque verecundo faciem depicta colore
 120 arguta saltat molliter in solea ;
 121 pro qua ut communes exercerentur amores
 122 cena datur luxu plurima regifico.
 123 Conveniunt proceres magni Europaeque Asiaeque :
 124 pronuba adest Juno maxima caelicolum.
 125 Quid memorem reliquas caelesti lumine divas
 126 quarum fama altum praeterit Oceanum,
 127 quae possent oculis avertere fulminis iram,
 128 quae possent ferri frangere duritiem,
 129 quae jungunt choreas manibus per mutua nexis
 130 quas etiam omnivolus Juppiter ipse petat ?
 131 Quarum ne nomen fato moriatur, habebit
 132 nescio quid majus carmine Callimachi ;
 133 quarum ne facies aevo rapiatur, Apellem
 134 inveniet rosei qui notet oris opes.
 135 Has inter timui ne sensus pectore abirent
 136 neve his conspectis saxeus efficerer.
 137 Dicebam : "Flamma haec, flamma haec tibi pervincenda est,
 138 sive tuo hoc animo est non pote sive pote."
 139 Dicebam : "Miserum aspiciate, o dii, si modo pure
 140 vitam egi et mea quid si benefacta valent."
 141 Feci vota igitur Veneri bona verba precatus
 142 Atque illi (LACUNE) Dona beata feram
 143 atque illi prima tonsam lanugine pubem
 144 (LACUNE)ae deliciam Lalages :
 145 vernantem do florem aevi pubentis (LACUNE).
 146 Hoc Veneris carmen pendeat ante fores :
 147 "Archius vates servatus ab igne propinquo
 148 haec, Cytherea, tibi munera persoluit :
 149 servatus vovit pubem, servatus ab igne,
 150 floridulum quum aetas florida ver ageret."

LYRICON

N_23 v.1 Intaminata solvitur alite
 2 navis, poetam haud illepidum ferens
 3 fratresque festivamque matrem.
 4 Puppe cupit celeri videre
 5 et lar paternum et tecta domestica :
 6 optat secundis tendere flatibus
 7 terramque ad altricem redire
 8 Hippotade et Zephyro favente.
 9 Non, o, rudentes non feriat Notus
 10 fractosque remos differat Aeolus
 11 nec puppem in adversum retundat
 12 flante locum Borea protervo :
 13 verum in quieto tuta sit aequore
 14 Benaci et ipso tuta sit Aeolo,
 15 pictaeque supponat carinae
 16 sacra manum Thetis et maritus.
 17 Nymphae quadrigis et levibus rotis
 18 adsint secundae, seu tubicen deum

19 Triton marinorum vocatus
 20 praestet iter facilemque cursum.
 21 Quod si secundi res erit exitus,
 22 lascivientem solvere diis caprum
 23 promitto et in nudo capellam
 24 litore sacrificare pinguem.

IAMBUS IN ANNIBALEM

N_24 v.1 Et haec potes videre et ista perpeti,
 2 pater deorum, et omnium alme Juppiter ?
 3 Potesne justa continere fulmina ?
 4 Neque hic scelestus Annibal luet scelus,
 5 nefandus ille poena cui fuit fides,
 6 adulter ille et hostis ille patriae
 7 et impudicus prostitutor virginum,
 8 sacrarum et ille latro dirus aedium ?
 9 Quid hoc scelus fovetis ? Ite, Galliae,
 10 et ite Brixiae optimi patres meae ;
 11 luem hanc fugate ad Occidentis insulas,
 12 et exul erret ultima in Britannia.
 13 At o bene est ; nefandus Annibal luet
 14 scelus repente : Erinnys atra fulminans
 15 retorquet ora sibilante vipera ;
 16 Megaera utraque concutit manu faces.
 17 Tandem audiere dii querentium preces
 18 et impium scelus pios movit deos ;
 19 adest, nefande, poena, carnifex adest,
 20 adest securis, et necem denuntiat :
 21 avis sinistra cor vorabit perfidum ;
 22 erit rapacis esca vulturis jecur.
 23 At ipse diis dabo bovem cornupetam
 24 Jovique maximo immolabo victimas.

HIPPOLYTAE MARCHIONISSAE

N_25 v.1 Etsi rura colas, coleris tamen urbibus, alma
 2 Hippolyte, et tecum rure pudicitia est :
 3 sors tua divina est quamvis sit rustica : namque
 4 sordibus urbanis quae caret, illa dea est.

DE LACHRIMIS PUELLAE

N_26 v.1 Dulces lacrimulae meae puellae,
 2 quas desiderium pium movebat,
 3 per vultus modo candidos rigabant
 4 guttatim et roseis genis fluebant :
 5 ac si rivulus irrigaret unda
 6 flores purpureosque candidosque
 7 et per florida prata laberetur.
 8 Tam suavi in pluvia nitens Cupido
 9 stabat ceu solet insidens volucris
 10 ramo, vere novo, ad novos tepores,
 11 post solem accipere aetheris liquorem,
 12 gestire et pluviae ore blandiendo.
 13 Tunc illis Amor insidens ocellis,
 14 has inter lacrimas et hunc dolorem,
 15 sic ignem ex oculis suis movebat

16 exire ut faceret novas favillas.

N_27 v.1 Perfer et obdura et legem hanc in amore frequenta :
 2 perfer et obdura, dii meliora dabunt ;
 3 obdura et patere ut veniat meliore lapillo
 4 et signanda dies candidiore nota.
 5 Nonne vides ut post hiemem crinita hyacintho
 6 fundat odoratas terra benigna rosas ?
 7 Nonne vides veluti post tristia nubila caelo
 8 irradiet solis flammeus ore nitor ?
 9 Nonne vides veluti post aequora turbida tendant
 10 sedatis pinnas fluctibus alcyones ?
 11 Obdura et patere et legem hanc in amore frequenta :
 12 incipe firmata plurima mente pati.
 13 Namque mihi eveniunt - et quae non dicere fas est
 14 praeter amanti - animo vix patienda meo.
 15 Nam dominae dum cingo rosa limenque coronos
 16 et sedeo solus janitor ante fores,
 17 Nocte occurrit anus trutinansque verba labellis,
 18 infirmum baculo fertque refertque pedem.
 19 Haec est - ut puto - quae pastorum fascinat agnos
 20 et quae mansuetas murmure cantat oves ;
 21 haec est quae caelo ducit vaga sidera cantu ;
 22 haec est quae manes elicit e tumulis.
 23 Illa in me torsit tot jurgia quot mihi numquam
 24 a quoquam aut alibi dictaque factaque sunt.
 25 Illa mihi dixit : "Quid agis, malesane poeta,
 26 quem miserum assiduo cura dolore coquit ?
 27 Tunc es quem falsae jactarunt murmura famae
 28 ferre pudoris adhuc munera virginei ?
 29 Sic casta est Helene, sic est Venus aurea casta,
 30 casta etiam Lais sic Ephyraea fuit.
 31 Ah pater infelix, qui tot solatia fingit
 32 de te, cui vita es carior atque anima !
 33 Certe tanta tuos exspectat fama penates :
 34 sic frustrata tui vota parentis erunt.
 35 Ah pater infelix ! Isti mollire sepulchrum,
 36 et mala qui exstructum devoret ossa rogam !
 37 Hic solus triviis furtivum exercet amorem,
 38 pallentemque illum Cynthia nocte videt.
 39 Accipit hunc etiam demisso fune fenestra :
 40 ille etiam Lalages uritur igne pari.
 41 Uritur et toti jam factus fabula vulgo,
 42 et digito ostendens qui videt inquit : "Amat".
 43 Idcirco, infelix pater, huic mollire sepulchrum
 44 teque etiam nato finge carere tuo."
 45 Haec postquam magico fudit mala verba susurro
 46 sollicitum in tenebris nocte reliquit anus.
 47 Ista tamen patior, patior quia fortiter uror,
 48 quod graviora animo sunt patienda meo.
 49 Tu quoque - ni gravius quicquam hoc nascatur amore -
 50 obdura, infelix : dii meliora dabunt.
 51 Nec cura maledicta tuae furiosa puellae :
 52 illa recorderis quae benefacta juvant.
 53 Cum semel et semel illa tibi et semel illa negabit
 54 immittis, tandem lenior hostis erit.
 55 Obdura, miser, et legem hanc in amore teneto :
 56 firma animum nec te tam miser excrucies.
 57 Hac arte est nostrae contusa superbia vitae ;

58 illius fregi sic ego nequitiam.
 59 Tu quoque si ingratae vis conciliare puellae,
 60 exemplo poteris me superare meo.
 61 Quisquis amas saevoque ardes in amore perire,
 62 obdura, perfer fortiter et patere.

FLAVIAE

N_28 v.1 Postquam me odisti, mea Flavia, semper et odi
 2 me miserum, potui nec bene velle mihi.
 3 Namque illi mihi nulla fides praestatur, et illum
 4 non amo quem odisti, Flavia amata mihi.

FLAVIAE

N_29 v.1 Flavia, de nobis vulgi phiala fama susurrat
 2 promissam nostrum fallere utrumque fidem.
 3 Sed neque amat vere tantum rude vulgus amicam
 4 ut noscat quanta est nostro in amore fides.

ODE

N_30 v.1 Di, quibus imperium undarum et qui mittitis imbres
 2 arboribusque satis,
 3 hanc impendentem pluviam et compescite ventos
 4 ne obruat unda caput ;
 5 erripite hunc capiti et venientem avertite nimbum :
 6 nubila ferte procul.
 7 Sed, dii, quos video flammaram albescere tractus ;
 8 fulmina quanta micant ?
 9 Ecce fugit silva pastor lucosque relinquit
 10 agmen agens pecudum ;
 11 et dum nescio qua cantant dulcedine ; linguunt
 12 compita Hamadryades ;
 13 surgentem ob tempestatem de vallibus imis
 14 carbasa nauta legit.
 15 Omnia rura natant et plenis omnia fossis
 16 et pecus omne latet.
 17 At me percutiunt venti pluviaeque solutae
 18 et caput unda ferit.
 19 Dii, removete igitur tempestatem imbribus atris
 20 et capite aure preces ;
 21 sive sedet segeti largos infundere rores,
 22 hos date nocte, precor :
 23 aut mea me optata donec tellure receptum
 24 patria suscipiet,
 25 aut magalia vel ramorum protegat umbra
 26 aut rudis agricolae
 27 [LACUNE]
 28 facta sine arte casa.

N_31 v.1 Militat ut Mavors et habet tentoria virtus ;
 2 militat et Muis ingeniosa cohors.
 3 Nam matutinus si surgit miles in armis
 4 fortis, et ignavam non sinit esse tubam,
 5 et matutina surgit studiosus in arte

6 strenuus, ignavam nec sinit esse lyram.
 7 Si neque delectant Martem vacua otia, et ipsi
 8 Phoebus nullo umquam tempore deffit opus :
 9 si Mars stratus humi et si sub Jove dormit aperto
 10 et dant nativi huic pumicis antra torum,
 11 idem sub dio et nativi pumicis antro
 12 dormit et in nuda tergora ponit humo.
 13 Si non hunc terret rapidi inclementia caeli
 14 frigora nec solita detinuere via,
 15 frigora nec terrent Phoebum aut incommoda caeli
 16 nec pluviae admissas qui bibit Arcus aquas.
 17 Si Mars, hostili dans vulnera saeva catervae,
 18 arma cruentatus sanguinolenta ciet,
 19 et studiosa cohors inter se proelia miscet :
 20 certa itidem sibi dant vulnera certa manu.
 21 Felix ille igitur quisquis duce Apolline certat,
 22 nolluit et Martis castra cruenta sequi !
 23 Ferreus exultat Mars sanguine : sanguine numquam
 24 per Phoebum pinguis luxuriavit humus.
 25 Auspice non illo trepidant hastilibus aerae
 26 sanguineis, nullas misit ad arma manus ;
 27 nulla hominum caedes : pax est, duce et auspice Phoebus,
 28 quae pecudes, homines, quae moderatur aves.
 29 Hinc me sub tenera Phoebus indulsisse juventa
 30 et juvat hinc mi hederas circumiisse comam.
 31 Quod si non possem huc inglorius ire meumque
 32 circa cor sanguis frigidus obstiterit,
 33 flumina et irrigui placeant in valibus amnes
 34 et silvas et rus incoluisse velim.
 35 Ipse ego vimineis portarem poma quasillis,
 36 ferrem autumnali cerea pruna die.
 37 Ipse ego Maenaliis starem qua mille sub antro
 38 fistula pastoris garrit arundinibus.
 39 Et cum se scopulis et cum se condet hirundo,
 40 verberet et gelidos garrula vere lacus,
 41 jungam robustos tauros robustus arator,
 42 liberem ego emerito fervida colla bovi.
 43 Et teretes herbis videam colludere gemmas
 44 et matutino rore madere diem.
 45 Felices igitur quater ii quibus ore benigno
 46 et placido affulsit sidere Mercurius !
 47 His si haud Taenariis surgunt palatia tignis,
 48 si neque habent dives quas tenet Indus opes,
 49 his tamen ingenii non pauper vena beati
 50 efficit ut regum despiciantur opes.
 51 Haec mihi si optato fulxerunt sidera cursu
 52 et si me Aoniis Delia lavit aquis,
 53 linquo ego opes aliis : quid mi cum divitis Indi
 54 divitiis ? Stolidus nil mihi cum populo est.

EPITHAPIUM MEDICULI

N_32 v.1 Solus, non solus, habuit uxorem non habuit ;
 2 vixit vix nec vixit : calebat nec callebat ;
 3 sapiens neque sapiens, medicus mendicus ;
 4 omnibus et notus et ignotus :
 5 qui illum non nosti, laetare.

ODE

N_33 v.1 Et vino et numeris juvat
 2 dulci laetitiae solvere pectora,
 3 postquam prata rigent gelu
 4 hiberna et fluvii sunt nive turgidi
 5 et gaudet stabulis pecus.
 6 Donec alba procul canities abest
 7 mordaces Mareotico
 8 curas, o socii, pellite : ne brevem
 9 turbet laetitiam deus
 10 aut ne sors hominum haec auferat invida.
 11 Omnes sint oculi putres
 12 conversi in Lalagem, et dividat oscula
 13 acme deliciae meae.
 14 Formose et viridi flore puertiae
 15 dulcis, solve comam, puer
 16 lascivo vitulo luxuriosior :
 17 ambi (LACUNE) colla manu
 18 serpentique hederæ sis similis, precor,
 19 stringenti veterem illicem.

N_34 v.1 Care puer, mellite puer : quid lente moraris,
 2 exspectate puer ? Me tuus urit amor.
 3 Me tuus urit amor, sed cur mea gaudia differs ?
 4 Et cur me miserum perdis amore tuo ?
 5 Care puer, libeat croceo requiescere lecto
 6 et celer in nostros ipse recurre sinus
 7 protinus, et da mille mihi, da basia raptim,
 8 qualia dat blando juncta puella viro.
 9 Sed fugis, et nostras spernis, formose, querellas :
 10 me scaeva cogis denique morte mori.
 11 Confidisque tuo nimium, dilecte, colori :
 12 carmina nil curas, nil miserere mei.
 13 O ego non felix, quem tu fugis ut fugit acres
 14 tigres cerva, truces ut fugit agna lupos !

ODE

N_35 v.1 At, o dii deaeque et quidquid deum est in caelo,
 2 audite horrendum scelus :
 3 audite facinus Ariminensis vetulae
 4 et comitum in triviis. Magae inamabiles,
 5 tinnitu puerorum acuto,
 6 tinnitu aeris exagitemini
 7 sub luna in triviis nudae,
 8 vocantes triplicem deam
 9 quae praeest veneficiis, et quae
 10 ponitis vestimenta prope filicem
 11 venosam et imaginibus cereis
 12 acus in cor mortalium dirigitis,
 13 cyclon spargentes semitarium limo
 14 putrique saliva marcidaque urina,
 15 urentes lauros crepitantes et bitumen viscosum :
 16 hesternam modo nocte vidimus, vidimus.
 17 Quum jam Bootes lentius declinaret
 18 et nox intempesta taceret et atris
 19 caelum caligaret nubibus et maritus

20 imber in gremium conjugis descenderet,
 21 vidimus convolantes ad praedam exsecrandam,
 22 e tecto lapsas uti edaces aquilas :
 23 aggressaeque infantis mollicelli animulam,
 24 qui vagiebat in cunis sine matre,
 25 sine nutrice, ita exsiccastis sanguinem,
 26 ita medullas absorpsistis, impiae,
 27 ut non ossa suis ossibus adhaererent.
 28 Sensi ego membra crepitantia sub dentibus,
 29 sensi artus fragiles, sensi tenuem vocem
 30 nescio quid triste sonantem : viscera levi
 31 tosta Vulcano aemulabantur dapibus
 32 infandi Terei ; vidi gramen, vidi
 33 ensem et cicutam, vidi venenum Thessalum
 34 et resecatum aenea falce gutur.
 35 Horrendam sensi vocem : "Sorores, ite,
 36 ite huc, sorores, et sparsae comas ventis
 37 dilaceremus et voremus infantem
 38 ut quondam Maenas Penthea, Penthea !
 39 Ite huc, sorores : mala mater,
 40 tuo expiabis paenam sanguine !
 41 Quod si, poeta qui taciturnus lates,
 42 quis te furor impegerit ut dicas,
 43 caveto hunc ensem, caveto istam manum
 44 et iracundae Circes numina".
 45 At ego in sponda latebam miser :
 46 ut cor exsanguine et trepidum palpitaret
 47 animaeque anhellitus ne exsiliret
 48 conabar : latebam ut lepus in stipulis
 49 aut in vepre reconditus arrectis
 50 auribus, qui venatoris sanguinolentum
 51 telum et spicula prompta de pharetra
 52 videns et prope Amycleos molossos,
 53 dente timet rabido vorari.

N_36 v.1 Martinalia sunt : valete, curae
 2 mordaces ! Puer, huc cados frequentes
 3 inger, dein cyathos capaciores ;
 4 huc affer pateram, ebriosum ut omnes
 5 tingamus caput ebrio Liaeo.
 6 Fer Vernatiolum Thyonianum :
 7 moro millia vasa, mi ducenta ;
 8 cottae plena diota sit Falerno ;
 9 da centum altera vasa, deinde centum ;
 10 da centum altera : da ducenta, mille,
 11 ut quum multa biberimus superque
 12 potaverimus illa, dormiamus.
 13 Tu verum interea, puer, memento
 14 nulli dicere, ne invidere possit
 15 quisquam quum sciat amphoras Falerni
 16 et Vernatioli ducenta vasa
 17 et potasse ducenties ducenta.

DIVO CAESARI

N_37 v.1 Vivat io felix Caesar geminetque triumphum,
 2 et Caesar fines proroget Imperii !
 3 Assyrios domitet Caesar Parthosque feroces

4 Caesareoque Getae dent fera colla jugo.
 5 Tardius accipiant hunc sidera ; terra fruatur
 6 Caesare : sit terrae rex domitorque maris.
 7 Vivet io Caesar vincetque aetate trisaeclem
 8 Nestora : dii longos huic cecinere dies.
 9 Cura deum Caesar vivet felicibus annis :
 10 sic cupiunt homines, sic voluere dei.
 11 Ecce triumphanti ascendens Capitolia curru
 12 in Capitolinos fert sua signa lares.
 13 Huic laeti arident pueri praesagaque veri
 14 pectora dant aris tura merumque focis.
 15 Ara Jovi struitur : stacten myrrhamque recentem
 16 ara olet, exsultat cum seniore puer.
 17 O, mihi si liceat magni componere laudes
 18 Caesaris et numen demeruisse meum !
 19 Ipse Propontiaca non qua fluit Isthmos ab unda
 20 cantarem : hospitium nec, Polydore, tuum,
 21 nec qua septeno Nilus praeterfluit alveo,
 22 nec memorem Idaei cymbala rauca chori.
 23 Fortia facta mei memorarem Caesaris et me
 24 sublimem ex humili fama levaret humo.
 25 Sed quoniam hoc vetitum est, saltem voluisse licebit
 26 in mediaque loqui talia verba via :
 27 "Caesar ave, divum soboles : te numina servent
 28 teque bona magnus Juppiter auctet ope !"

AD NEERAM

N_38 v.1 Non saevum Boream times, Neaera,
 2 horrorem aut Zephyri Favoniumve,
 3 sed ventum horribilem tui mariti
 4 pinguis, sordiduli atque pestilentis.

N_39 v.1 Flavia, amarem ego te plusquam cor, plusquam et ocellos
 2 si me et amares ut nata patrem atque virum :
 3 sed quoniam ex animo proprie nil sentio amari
 4 non ideo haud amo te, at cogor amare minus.
 5 Quare, si sapiens, ut de te impensius urar,
 6 incipies et amare et magis atque magis,
 7 ne neglectus ego aut aliam mihi comparem amicam
 8 aut aliam quae me diligat et cupiat :
 9 huic quicquid poterunt omnes benedicere amantes
 10 aut facere, haec a me dictaque factaque erunt.
 11 Invida tu interea insano capieris amore,
 12 cumque tuis vives libera adulteriis.
 13 Hoc tamen, o superi, aspiciate et miseremini utrumque :
 14 reddite et illam mi pro pietate mea,
 15 aut hanc conciliate et non dissolvite ; possum
 16 non desistere amare omnia si paterer.

DE COTTA VERONENSI

N_40 v.1 Haec infausta dies nigroque notanda lapillo
 2 semper tristis erit - sic voluere dei -
 3 quandoquidem illa mihi misero te, frater, ademit,
 4 o Cotta, et Musarum decus et Veneris.
 5 Hac idcirco die tabescent lumina fletu,

6 nec cessabo meas imbre rigare genas.
 7 Et ne forte animo nostro effluxisse putares,
 8 prisco more tuo sacra feram tumulto ;
 9 quin etiam ne forsitan edax te deleat aetas,
 10 saecula te in nostro carmine pervoluent.

N_41 v.1 Musae, clavigero meo poetae
 2 vellem paucula verba nuntiare
 3 ut se se ferat ad suum sodalem,
 4 montanas Stenici domos relinquens :
 5 quod - si quid poterit fides - repente
 6 huc gressu celeri viam vorabit.
 7 Namque est pollicitus suo poetae
 8 venturum huc, licet hunc roget morari
 9 uxor casta, ducentiesque collo
 10 utrasque injiciens manus precetur
 11 ne se se ferat ad malum poetam,
 12 et det millia basiationum.
 13 Quod si huc accelerabis, o poeta,
 14 quantum suscipies facietiarum,
 15 quantum suscipies cachinnulorum !
 16 Hic regina Paphi ac arundinosi
 17 Cnidi non renuet diebus octo
 18 tecum continuas movere rixas.
 19 Hic multas tibi cogitationes
 20 volo pandere : namque tu solebas
 21 partiri quoque tu tuas Camenas.
 22 Scripta hic crustula et os papillulasque
 23 formosae Lalages meae videbis :
 24 quae cum legeris et satis superque,
 25 una cum agricolis agros petemus
 26 omni deposita severitate.
 27 Dices tunc : "Patrii lares, valetate ;
 28 arcus mi placet, ii placent recessus :
 29 hic est altera Roma iudicandus."

AD ILLUSTRISIMUM SIGISMUNDUM ESTENSEM

N_42 v.1 Te "sidus mundi" veri dixere parentes :
 2 nam totum illustras variis virtutibus orbem.
 3 Hinc tibi divinos debere fatemur honores :
 4 attamen hos quos silva tulit ne despice fructus.

SILVA

N_43 v.1 Romani heroes et vos, fortissima quondam
 2 pectora, quae toties fudistis finibus hostes
 3 Hesperiae, quorum sensit gens barbara vires,
 4 decolor audito quo nomine palluit Indus,
 5 auspiciis quorum toties illa incluta Roma
 6 imperium terris, animos aequavit Olympo,
 7 audite haec, seu vos regio tenet ardua caeli
 8 Juppiter et merito superum dignatur honore,
 9 seu vos Elysias sedes, et amoena vireta
 10 excolitis ; vos, Scipiadae, et te, maxime Caesar,
 11 illustres animae testor : quae fata Latinos
 12 saeva manent, aut quae miseris fortuna minatur ?

13 Tota ruit bello Italia et jam fessa procumbit :
 14 degeneres dant terga Itali, jam tota cruore
 15 exundat multoque implebit milite fossas
 16 Brixia. Mela virum tam crebra cadavera volvit
 17 quanta olim flavis Xanthus versabat arenis
 18 quum passim caesis Phrygiorum corporum acervis
 19 caede tepefaceret rivos animosus Achilles.
 20 Flent maestae miserae natorum in funere matres
 21 et dirum bellum et crudelia sidera damnant
 22 percutiuntque suis moriturae pectora palmis.
 23 Apparet belli facies et saevit Erinnyes ;
 24 huc illuc rapidis insistens pronus habenis
 25 it Mavors acuitque animos acerque cruento
 26 ore tonat : propius ferro et concurritur armis.
 27 Agmina crebra cadunt, praeruptus ubique virum mons ;
 28 Brixia magna ruit, miles bacchatur in urbe
 29 sanguineam quatiens hastam, et populatur opima
 30 tecta patrum antiquasque domos veterumque labores.
 31 Non possum haec memorare, et fando talia obortas
 32 totus eo in lacrimas : sed adhuc pejora supersunt.
 33 Idcirco ut facinus memori per saecula fama
 34 notescat magis atque magis, contexere chartis
 35 nitor et hoc jubeo nostros odisse nepotes.
 36 Templorum ante fores puerique et vulgus inerme
 37 et matres fessique senes et mixta juvenus
 38 sternuntur, matrisque sinu divellitur infans :
 39 infans qui miserae portendit brachia matri
 40 auxilium balbo ore vocans, balbo ore susurrans.
 41 Inque ipsis adytis divum dum multa precatur,
 42 dum libat pateris, diro cadit ense sacerdos
 43 ante deos arasque recenti sanguine foedat
 44 protinus et sedes divum. Et simulacra feruntur
 45 aurea : virgineas audet contingere vittas
 46 barbarus ; ah male caute, deum quid magna lacessis
 47 numina, vel quae te dementia, barbare, adegit
 48 horrendum patrare scelus ? Dabis, improbe, poenas
 49 sanguine quum Eridani manabunt alta cruore
 50 litora, vicinae quod sentiet ora Ravennae.
 51 Quin et fatidici monitus caelestiaque astra
 52 divorumque arcana ferunt nunc affore tempus
 53 qua matres Gallique senes in funere tanto
 54 natorum madidos involvent pulvere crines.
 55 Cessabunt inter se se discordia tela
 56 Italiae : unanimes Itali fera bella movebunt.
 57 Gallorum nostri madefient sanguine cives ;
 58 Gallorum infesto sternentur corpora ferro
 59 et conjuratus descendet montibus hostis
 60 assuetus duos bello tolerare labores.
 61 Egregios Italorum animos praeclaraque facta
 62 sentiet Oceanus, spargentur et Hellesponto.
 63 Nam postquam imperii crevit furiosa libido
 64 Gallorum crevitque injusta potentia regni,
 65 justitia et fixis venit captiva sub hastis,
 66 ipse deus tristi conspexit talia vultu :
 67 nam neque jam Gallis pietas non vivere parto
 68 cura fuit, propriisque opibus traducere vitam,
 69 sed fanda atque nefanda malo miscere furore ;
 70 sollicitique omnes nomen delere Latinum
 71 ausi sunt violare deos neque parcere templis.
 72 Idcirco Caesar qui jura piisque tuetur,
 73 Italiam tristem et gentem miseratus amicam,

74 auxilium tulit atque hostes exosus acerbos
75 Italiae jussit pacem regnare per urbes.

N_44 v.1 Turrianus nuper tumulo caput extulit alto ;
2 dixit : "Haeredes, hoc prohibete nefas :
3 ne violet manes nostros, aut quis malus ultro
4 vates me offendat carmine pestifero."

AD FLAVIAM TICINENSEM

N_45 v.1 Dulcis Flavia, candor Italarum
2 et quot sunt et erunt puellularum :
3 dulcis Flavia, tantum amata quantum
4 dilecta est nec amabitur puella,
5 quam tristis Ticini recedo ab urbe,
6 formosam faciem miser relinquens !
7 Sed vates meus et meus sodalis
8 ducit me in patriam mei Catulli.
9 Hinc nos sarcinulis bene expeditis
10 sulcamus celeri Padum phasello.
11 Verum ille auspicio beatiore
12 ad carum accelerat suum parentem.
13 Silvanum ille videbit et penates ;
14 dulcem conciliabit Ipsitillam
15 et cara potietur Ipsitilla
16 optato quoque lectulo acquiescet
17 miscens continuas fututiones :
18 illum suscipiet petulca conjunx
19 lassum et languidulum virum fovebit.
20 Quod si non mihi falsa nuntiantur,
21 jamdudum Veneri Cupidinique
22 votum persoluit bona Ipsitilla,
23 orans (qua) sibi restitutus adsit
24 vir quem deperit impotente amore.
25 Quis felicior hoc beatioreve,
26 quis me tristior infacetioreve
27 cum nil sit mihi vel boni aut beati
28 dum linquo lepidos meos amores ?
29 Verum haec spes superest meo dolori
30 quod - si quis deus est mihi advocatus,
31 paucis si mihi dii favent diebus -
32 rursus me referam ad meam puellam.
33 Tunc risus profugi cachinnulique
34 et mecum hic aderunt mei lepores,
35 lepores mihi quos dedit Cupido.
36 Tu mellita labella mordicabis,
37 et mellita labella mordicabo ;
38 tu suges mihi lingula liquorem,
39 et sugam tibi lingula liquorem ;
40 tu mi denticulis notam relinques
41 impressam, et tibi dentibus relinquam ;
42 et tu basia mille, ego et ducenta
43 et mille in roseis genis relinquam.
44 Et te basiolis remunerabo.
45 Duces stamina, ducam ego ad lucernam :
46 hibernis quoque noctibus recensens
47 fabellas vigilabo et otiosus
48 sorbillabo merum Thyonianum

49 suavi nectare dulcius deorum.
 50 Jucundum mihi tu dabis liquorem
 51 unguentum et capiti et rosam ac amomum,
 52 cincta et tu caput ebrium corona :
 53 ut cum multa biberimus superque
 54 potaverimus, illa nesciamus
 55 quae fecerimus in toro ebriosi
 56 nec nutrix sciat aut meus minister.
 57 Tu casta interea et pudica vive :
 58 at vos ite procul, mutoniati,
 59 columbis Paphiis salaciores ;
 60 quod si quis furor in meam puellam
 61 aut si vos mala mens aget scelestos,
 62 dii dent tot mala totque totque totque
 63 ut nec vos moveatis incitatos
 64 possitisve rudes movere lumbos,
 65 sed currant raphani, et libidinosi
 66 rumpat diva Venus caput Priapi.

AD LALAGEM

N_46 v.1 Jam ver egelidum procul recessit :
 2 aestas jam rediit siticulosa
 3 ardentesque Canis hiulcat agros ;
 4 Romanos, Lalage, lares relinque,
 5 ne te corripiant mali calores
 6 et Romae aridus aer aestuosae.
 7 Huc ad me venias, ubi benigne
 8 ocellus tibi plaudet insularum :
 9 dulcis patria, Sirmio, Catulli.
 10 Jucundos Zephyri hic movent susurros,
 11 hic et praetrepidans puer vagatur
 12 et scindit mare limpidum fasello ;
 13 Benacus pater incitat soporem :
 14 hic te Sirmio heram suam vocabit.
 15 Quod quum veneris huc, tuos ocellos
 16 mellitotos adeo usque basiabo
 17 ut cor sit saturum meum futurum,
 18 cum donavero basiationem
 19 aridis tibi densiorem aristis.

IN FUNERE MARCI ANTONII TURRII

N_47 v.1 Assiduo quamquam mea mens confecta dolore
 2 jamdudum invidet et mordacibus anxia curis,
 3 Turriano tamen exsequias et solvite justa,
 4 Pierides, juvenemque sacris intexite chartis
 5 ut superet mortem fama super aethera notus
 6 et vivat magis atque magis, neve ulla vetustas
 7 illum nocte tegat caeca neu deleat aetas.
 8 Quae regio vel quae loca vos tenere, Camenae,
 9 qui colles aprici, illum dum fata manebant ?
 10 Nam neque Benaci litus neque proxima Ripae
 11 patria vos tenuit neque nubifer Apenninus ;
 12 Sirmio non, docto nimium veneranda Catullo :
 13 illum etiam silvae et pecudum flevit magistri
 14 illum etiam Verona suum ploravit alumnum,
 15 Verona heu jam exhausta viris, quondam inclyta doctis
 16 ingeniis et dives opum et pulcherrima rerum.

17 Illius mortem miseratus gurgite ab alto
 18 extulit horrendum caput et convicia torsit
 19 in superos Athesis : salices sensere gementem
 20 ipsum Athesim, glaucae salices sensere querellas.
 21 Quin etiam Nymphae Benacides exstirpantes
 22 caesariem venere : vocant crudelia fata
 23 Gardaue Cyanippeque Arethusaue Dinameneque
 24 et Turris formosa et passis Laura capillis.
 25 Frigidulos madido singultus ore trahebat
 26 caerula Laodice : "Juveni succurrite - clamat -
 27 numina, ferte et opem misero atque avertite fatum."
 28 Attoniti vitreis de sedibus exiliere
 29 Tritonum chorus et morientis paenitet illos.
 30 At senior tumidis surgens Benacus ab undis
 31 "Tollite jam lacrimas - inquit - nil talia curat,
 32 crudelis, sed nec lacrimis mors flectitur ullis ;
 33 nec te paeniteat mortis, divine poeta :
 34 nam siquid vatium felicia carmina possunt,
 35 nulla dies umquam nostro te subtrahet aevo ;
 36 hoc tibi solamen sit, spes ea certa laborum".
 37 Ille tamen, veluti succumbens victima morti,
 38 lumina quum moriens languentia declinaret,
 39 has rupit voces et quaestus fudit acerbos :
 40 "Dii, siqua est pietas, nundum decerpente florem
 41 immaturi aevi nec dulcem abrupte vitam :
 42 sin aliter visum est fatis viridique juvena
 43 me spoliare parant - si vitam puriter egi -
 44 opto mea in tumulto tunc molliter ossa quiescant."
 45 His dictis labefacti animi multusque per omnes
 46 it gemitus : resonat maestum per compita murmur
 47 quale solet cum saepe aestate incanduit aether
 48 et caeli rabies et apes sub sole rubenti
 49 inclusae tectis aegrae dant murmur et ipso
 50 limine fit strepitus, resonant et frondea rura.
 51 (LACUNE)
 52 ventosae extemplo planxerunt litora Ripae
 53 aeriae unde sonant magnis clamoribus Alpes.
 54 Ipsi etiam montes, ipsa oppida contremuerunt
 55 insolito motu et nemora intonuere profunda
 56 et simulacra etiam pallentia more futura
 57 sudarunt : diras facies nos vidimus ipsi,
 58 errantesque animae auditae, vocesque deorum ;
 59 at bubo in tumultis, in culminibus desertis
 60 nocte sedens serum importuna voce canebat.
 61 Et lugubre rubens caelo incandente cometa
 62 sanguineum ostendit crinem mortalibus aegris ;
 63 ipse Arcus tristis scopuli de vertice summi
 64 signa dedit mortis : nam saxum e monte revulsum
 65 dejecitque domos et tecta sonantia fregit
 66 annosaeque ornos et amicas pacis olivas
 67 erruit, et moles tunc praecipiti decursu
 68 stravivit humi viridem laurum a radicibus imis.
 69 Postquam mors illum per opaca silentia noctis
 70 abstulit et juvenem crudeli mersit Averno,
 71 virtute egregium juvenem, retro fugit undas
 72 Calliope silvasque avertitur et Parnassum
 73 indignata suis cum fontibus aspernata est.
 74 Idcirco miseros fratres maestaeque sorores
 75 cernere erat lacerare genas atque ungue capillos.
 76 Exclamant : "Frater, nostrae pars maxima vitae,
 77 frater ubi es heu heu ? ", interruptaque verba relinquunt ;

78 plura loqui prohibet dolor : at stillare videres
 79 oraque pectoraque et lacrimas versare fluentes.
 80 Quos ego tunc gemitus, quae non suspiria sensi !
 81 Non igitur possem verbis memorare nec ullis
 82 laudibus illorum pietatem aequare canendo.
 83 Tum primum Ticinus puris argenteus undis
 84 multa gemens caecoque latens expalluit antro,
 85 exosus lucem et nebula vellatus opaca ;
 86 indoluit, caelumque vocans crudele, juvenus
 87 clara toga clara et studiis quaesivit ademptum,
 88 "Marce" vocans, te, Marce, vocans : te tota sonabant
 89 litora, te totis referebat vallibus Echo.
 90 (LACUNE)
 91 Non igitur posthac Ticinides alludentes
 92 herboso aut videas spatiantes margine ripae,
 93 aut pubis tenus exstantes procurrere in undas
 94 Benaci Nymphas aut longum pectere crinem,
 95 nudata aut niveas ostendere veste papillas :
 96 nec pisces captant in fluctisono Benaco
 97 candida nec mergunt rejectis crura cothurnis,
 98 nec strepitant placidis tranquilla per alta cachinnis
 99 nec mulcent tumidum variis concentibus aequor
 100 auricomae memores surdi Sirenes Ulyssis.
 101 (LACUNE)
 102 sed neque pastores agitant in montibus altis
 103 diis mixti choreas : jam non Amaryllida silvae
 104 crebra sonant, Satyri nec Nysigeni Sileni
 105 apparent ; nautae liquere in litore puppes
 106 et madida in siccis posuerunt carbasa ripis :
 107 non venti in noctem aspirant, non Cynthia flammis
 108 monstrat iter tremulis nec splendent sidera caelo :
 109 non apio viridi crispatur florida tellus
 110 nec surgunt violae aut rubro rosa tincta pudore
 111 nec coniventes oculos violaria solvunt.
 112 Arescunt frondes et citri poma negarunt ;
 113 et laurus baccas, hederæ posuere corymbos,
 114 sed neque jam teneras educunt flumina myrthos ;
 115 jam passim surgunt aconita et daedala tellus
 116 dat tribulos : nusquam est seges in fallacibus herbis
 117 nec largo Bacchi pubescit vinea fetu ;
 118 vipera crescit humi, squamosaque tegmina verrens
 119 pulvereum sulcat spiris iter horrida serpens.
 120 Ipse etiam Oceanus pater indignatus in alto
 121 mergit opes vastoque homines absorbet hiatu,
 122 nec prosunt jam vota : jacent in litore nautae
 123 caeruleos tumido revomentes pectore fluctus.
 124 Transtra natant tabulaeque et ventis acta carina ;
 125 insolito fremit unda et fluctibus excandescit ;
 126 omnia sunt deserta, nihil nisi triste minantur
 127 sidera : Mars laevo contristat numine terras.
 128 Me vero desiderium et pia cura sodalis
 129 amissi cruciat : namque insanabile vulnus
 130 altius it, geminat luctum et sine fine dolorem
 131 aeternasque mihi lacrimas gemitumque perennem.
 132 Quin etiam mea mens curarum pondere pressa
 133 fluctuat et maerens et acerbo victa dolore
 134 sevocat a studiis animum, afflictumque tenebris
 135 versari jubet, et me luctibus addere luctum.
 136 Improba mors, quid non fari mea pectora cogis ?
 137 Tene immaturum rapuit mors improba tantum
 138 ausa scelus, longa juvenis dignissime vita ?

139 Tene mihi mors atra atque irrevocabile fatum
140 abstulit atque annis florentibus immaturum ?
141 Morsne tuos fructus tenera consumpsit in herba ?
142 O factum male : o viridi praerepte juventa
143 Turriane infelix ! Te carmine compellamus,
144 ne te forte animo nostro effluxisse putares,
145 alloquimurque pios manes mutumque sepulchrum
146 hic inter lauros ubi sacram rem modo divis
147 et Genio facimus maestosque dicamus honores.
148 Ipse ego purpurei spargo tibi munera veris
149 narcissumque crocumque immortalemque amarantum
150 et nardum casiamque et odoriferum serpillum ;
151 spargo rosam et laurum et dico bona verba sepulchro.
152 Quae quoniam ex animo et veniunt mihi pectore ab imo,
153 haec precor admittat felici Juppiter aure.
154 Sis felix, Marce, et spiret tibi perpetuum ver
155 et molles tepeant hiemes et lenior aestas
156 et sacro Assyrium cineri nascatur amomum
157 et vernent tumulo flores et lilia cana ;
158 dulce strepant lauri folia et tibi lene susurrent
159 afflatae frondes Zephyris, tepidique Favoni
160 aura tibi pariat flores beneolentis anethi.
161 Namque ego concordem exegi dulciter annos
162 tecum ut nil vita fuerit jucundius omni,
163 quum mensa hospitioque eodem laribusque fruebar :
164 quum dii praesentes et fata benigna sinebant
165 vivere te et mecum longos requiescere soles.
166 Sed quid jam misero superest mihi ? Nulla voluptas
167 te sine erit : nam quis vivit te carior alter ?
168 Tu mihi, curarum requies et dulce levamen,
169 pandebasque animum et puri penetralia cordis,
170 assuetus curas partiri et gaudia mecum.
171 Non ita sub vitreo collucent fonte lapilli
172 nec vagus apparet muscoso in flumine piscis
173 quam tua rara fides et veri conscia virtus
174 se se ostentabat vultuque impressa nitebat.
175 Et veluti, exoriens cum lucem Aurora reducit
176 alba genas et virgineo suffusa rubore,
177 pallentes abeunt umbrae ac obscura recedunt,
178 alma dies properat sub tempore matutino,
179 sic tua frons hilaris toto mihi corde dolores,
180 toto animo et tristi fastidia mente fugabat.
181 At nunc ista mihi de te solacia praestas,
182 et nunc affari extremum est data copia amico.
183 Nec licuit tecum nostros finire dolores
184 et tecum uno eodemque comes venisse sepulchro.
185 Haec igitur saltem testantia tura dolorem
186 jure sodalicii cape : nam tibi tura quotannis
187 ipse feram et tumulo manes umbramque ciebo
188 et spargam myrthos et suave rubentem hyacinthum
189 et tibi constituam templum e viridante salicto
190 hic ubi Ticinus sinuosis flexibus errat.
191 Tunc aderunt Ticini vates cantare periti :
192 ante omnes Pyrrhus, qui te dum vita manebat
193 excoluit, Musas sacro ex Helicone vocabit
194 et canet ad tumulum et tumulo superaddet honores.
195 Sed fortasse meos gemitus neque curat inanes
196 Tyrrhigenus curas hominum et pia munera luctus ;
197 Ipse inter divos caeloque relatus in alto
198 conspectu superum fruitur dulcique potitur
199 nectare. Et assurgunt tibi et famulantur Amores :

200 arridet Venus atque oculis caelum omne serenat.
 201 Tu vero caelestem axem et vaga sidera lustras
 202 Saturnumque vides ac ensiferum Oriona
 203 et jam caelestes gaudes cognoscere causas
 204 percurrens caeli tractus, terrasque profundas
 205 despicias, exsultans gentes liquisse profanas
 206 et vulgum insanum et tot habentes nubila terras
 207 scrutarisque Orientem ubi candidus exoritur sol,
 208 discutiens terris tenebras, Phoebumque salutas.
 209 Te Phoebi natus medicorum adjungere regi
 210 fas habet Hippocrati et solio te collocat alto
 211 et te circumstant superi caput admirantes
 212 caesariemque deo similem vultusque serenos.
 213 Salve igitur divum soboles, diis aequa propago :
 214 nos semper votis et nos te semper ovantes
 215 marmore constructis Pario venerabimur aris.
 216 Per te senserunt medicinae commoda gentes
 217 et tibi posteritas debere fatebitur ultro ;
 218 quin tibi post annos, post saecula multa nepotes -
 219 veridico ut nuper cecinerunt carmine Parcae -
 220 emeritos referent clarae virtutis honores.
 221 Interea me nulla dies lenire dolentem
 222 nec poterit nostrum devellere tempus amorem :
 223 namque ego, Marce, tui aeternum, dum vita manebit,
 224 ardescam desiderio amissumque dolebo.

EXASTICHON DE EODEM

N_48 v.1 Pastores, rapidum solem vitare sub umbra
 2 quos juvat et liquidi quaerere fontis aquam,
 3 ferte pedem huc : mihi perpetuum fons manat ocellis
 4 et flumen madidis prosilit ex oculis
 5 dum modo crudeli sublatum funere, Marce,
 6 nequicquam mutas conqueror ad cineres.

AD FRANCISCUM INSUBRUM DUCEM

N_49 v.1 Insubrum dux magne, deum, si dicere fas sit,
 2 te dixisse velim, nam te nil mirius orbe
 3 sol videt : at saltem liceat in pace deorum
 4 te superis dixisse parem. Tot caeca pericla,
 5 tot casus morbosque et inexpugnabile fatum
 6 vicisti - prudentiae opus virtutis et ingens -
 7 ut te sors posthac neque fatum aut sidera laedant.

N_50 v.1 Jam decessit hiems, grata vice gramina campis
 2 parturit almus ager.
 3 Laxant arva sinus, nunc omnis pululat arbos
 4 et nemus omne viret.
 5 Jam flos omnis hiat pratibus et lilia surgunt
 6 candidiora nive.
 7 Nunc est ludendum, magno nunc ore sonandum est,
 8 Macre, sub arboribus ;
 9 nunc decet et mollis myrthi laurique virentis
 10 cingere fronde comam :
 11 nunc decet in triviis sub luna agitare choreas
 12 et canere ante deos

13 aut cum virginibus pia dicere verba Dianae
 14 et dare tura focis.
 15 Vere igitur stillent puro tibi tempora nardo
 16 frons madeatque mero.
 17 Atque ubi sunt croceis halantes floribus horti,
 18 candide Macre, veni :
 19 namque tibi e viola ferrugineoque hyacintho
 20 Delia sarta facit.
 21 Huc ades : unanimes sit amor simul omnibus idem,
 22 omnibus una quies,
 23 et dum longa dies et declinat rapidus sol
 24 carmina laeta cane ;
 25 neu mordax somnos abrumpat cura salubres,
 26 Caecuba, Macre, bibe
 27 et mecum flores legito et vaccinia nigra :
 28 cetera linque deo.

IRIDI

N_51 v.1 Iri, decus caeli, Junonis nuntia magnae,
 2 arquumque quae vario picta colore trahis,
 3 sis placida et felix Arquensibus omine laeto,
 4 sitque tua semper patria sospes ope.

N_52 v.1 Amabo, mihi dic, puer Cupido,
 2 quis flavum tibi praebuit metallum
 3 ut nostrae faceres comam puellae
 4 atque una aureolos suos capillos ?
 5 Servavit tibi quis rosas rubentes
 6 colligens teneras simul pruinas,
 7 utrasque ut faceres genas decentes ?
 8 Quis gemmas niveas coralliumque
 9 Indo ex aequore legit, ut pudicum
 10 os et denticulos manu magistra
 11 formares, quibus exeunt lepores
 12 una et dulcia verba mixta amaris ?
 13 Quo sole hos nitidos suos ocellos
 14 duxisti : heu nimium malos ocellos,
 15 qui miris cruciant modis amantes
 16 et dant laetitiam et simul dolorem
 17 et vitam simul et necem reportant ?

N_53 v.1 Dilectae Veneri, niveae, mea cura, columbae,
 2 quae gemitis rauco tecta per alta sono,
 3 nocte sub hac somnum pingui suadete marito
 4 dum venit in nostrum Chloris amata torum.

DE BATYLLA

N_54 v.1 Risum cara mihi movet Batylla
 2 et mecum pariter benigna ridet :
 3 quo risu aethera turbidum serenat
 4 et rident Charites Cupidinesque.
 5 Hanc vos, o teneri mei poetae,
 6 laudate hendecasyllabis venustis,

7 ut quondam potuit meus Catullus
 8 famam tradere Lesbiae perennem.
 9 Sed dicam hoc venia mei Catulli :
 10 si nunc viveret, esse Formiani
 11 amicam illepidam suam putaret
 12 prae cara et lepida mea Batylla.

N_55 v.1 Quum loquitur Lalage, spirant ex ore lepores
 2 eloquiumque omni dulcius ambrosia.
 3 Venti, ne verba haec superum referatis ad aures,
 4 ne mihi dii et magnus Juppiter invideat.

N_56 v.1 Scilicet ex animo dicam hoc, jucunde poeta,
 2 ingenueque istud et sine fraude loquar :
 3 quod tu discedens nostrae solacia vitae
 4 erripis et nobis omnia nostra bona.
 5 Nam quum inter reliquos esses mihi carus amicos,
 6 tu mihi curarum molle levamen eras ;
 7 quare si qua tibi est pietas, ne desere amicum :
 8 nam sine te nihil est vivere dulce meum.

SCAZON

N_57 v.1 Puella inepta, desinas superbire,
 2 quae me tuo ex amore perditum ducis
 3 et exfututa contines tuos vultus !
 4 Non te sequor nec amplius miser vivo :
 5 at tu superba me rogabis invitum
 6 meumque utraque vinciens manu collum,
 7 jam facta blanda, desines superbire.
 8 Ego obstinatus ut silex mari vasto
 9 tuas nec ipse sentiam preces, surdus.

N_58 v.1 Ut virguncula mollicella suevit
 2 dormire in tremula parentis ulna
 3 aut matris gremio piaie foveri
 4 ambas injiciens manus papillis ;
 5 quod si hanc lacteolo sinu revellit
 6 quisquam, turgidulos fricans ocellos,
 7 fundit lacrimulas scaturientes :
 8 noster sic liber, infaceta charta,
 9 ad te dum properat dolet moveri
 10 ex dulci hospitio sui poetae.
 11 Namque conscius est ineptiarum
 12 et scombros timet et timet cucullos.
 13 Sed solum hoc relevat suum dolorem
 14 quod, dum quisque cupit tibi placere,
 15 has laudes leget et, tuum decorem
 16 miratus, veniam dabit libello
 17 et parcet tenero suo poetae.

AD THYRSIM

N_59 v.1 Thyrsi puer, formose puer, cur liqueris heu heu
 2 in fontem ? Cur sic pallidulo ore tumes,
 3 dum fles erreptam nocturno a fure capellam ?
 4 Ah miser, ah miser, ah desine velle mori !
 5 Est mihi - ni temnis mea munera - corniger hircus :
 6 invidit Dameta hunc mihi saepe bonus :
 7 ille herbas gelidis in vallibus Appennini
 8 tondet et est matris maxima cura meae.
 9 Illum ego surripiam : matrem caramque sororem
 10 prae te ego despicio despicioque gregem.

PETRO ANTONIO IANONIO

N_60 v.1 Cur sacros iterum colles et amoena vireta
 2 Pieridum et sanctos ausus inire choros ?
 3 Jam te desuetum Musae risere canentem,
 4 venit et ad numeros aegra Thalia tuos.
 5 Hoc peperit conjunx et habendi caeca libido
 6 et nomen patris hoc tibi dulce dedit.
 7 Quam satius fuerat viduo dormire cubili
 8 clamosum et numquam sollicitare forum,
 9 quin etiam culto contentus jugere terrae
 10 vivere divitiis nec satiare sitim !
 11 Forsitan immenso vixisses cognitus orbe
 12 quaque patent terrae quaque patent maria
 13 nec te vexarent miserae mala plurima vitae
 14 nec tibi mors, tempus nec nocuisset edax.
 15 Delphica vixisset totum cantata per orbem,
 16 quae tecum infelix tota sepulta jacet.
 17 Ergo quum fueris postrema morte solutus,
 18 ipse tui nulla parte superstes eris
 19 et circa tumulum levis obdensabitur umbra,
 20 obducet tenebris nox tibi caeca caput :
 21 et tua transibunt spernentes ossa Camenae
 22 et veniet cineri gloria nulla tuo.

AUSPICIUM

N_61 v.1 Aspicio septem carpentes aethera cygnos
 2 et circumvolitat blanda columba caput ;
 3 felices eritis nostri - ni fallor - amores :
 4 nam nosco Veneris omina fausta deae.

AD VENEREM

N_62 v.1 Alma Venus, regina potens hominumque deumque,
 2 o dea, frondosum quae colis Idalium,
 3 fac thalamum nostrasque habitet concordia sedes
 4 et pax has aedes incolat et genius.
 5 Sint procul hinc curae et tristi discordia vultu
 6 et procul hinc rixarum omne genus fugiat.
 7 Et face ut hic mecum vivat sine lite Neaera,
 8 ut per nos veniat nulla querela tibi.

DE ANDRA PUELLA

N_63 v.1 In nodum tortos collegerat Andra capillos
 2 et levis aureolam huic sparserat aura comam
 3 illiusque vagis radiabat lumen ocellis
 4 ut Veneris caelo splendida stella micat :
 5 indueratque pium facies formosa colorem
 6 et gratus steterat fusus in ore rubor.
 7 Tunc ego cui molles carpebat flamma medullas
 8 arsi, nec noram quid ferus esset Amor.
 9 Forma Andrae caelestis erat, mortale sonabat
 10 vox nihil, et certe haec est dea visa mihi.
 11 Pace igitur vestra, caelestia numina, dicam :
 12 "Contigit humano nuper amare deam".

VOTUM BUMASTI AD BACCHUM

N_64 v.1 Vinitor hos tibi Bumastus dat, Bacche, racemos
 2 et libans pateris dat nova musta tuis
 3 et rogat ut calcata suo vindemia praelo
 4 illius linguam vinciat atque pedes.

VOTUM SILVII

N_65 v.1 Has modo decerptas ex palmite Silvius uvas
 2 pampineo autumnno dat tibi, Bacche pater,
 3 et rogat ut pleno spumet vindemia lintre
 4 atque illi musto dolia plena fluant.
 5 Agricolae, hunc hircum verubus torrete columnis
 6 et Baccho laudes dicite rite suas,
 7 impleat ut nostras divino nectare cellas
 8 et sint plena suis omnia muneribus.

N_66 v.1 Quid vos tinguere Bacchico liquore
 2 formosas, juvenes, juvat puellas ?
 3 Quae solacia deinde, quae voluptas
 4 aut hinc quid tenerae ferunt puellae ?
 5 Ite in basia lingulis trisulcis,
 6 per colla utraque mutuis lacertis ;
 7 pertractate papillulas venustas ;
 8 Cyprias imitamini columbas
 9 vernis passeribus salaciores.
 10 Amplexus date, mutuo fovete
 11 amplexumque hederam simul tenacem
 12 quae circumligat arbores referte :
 13 nam lex hoc madidi jubet Lyaei,
 14 ut sit densior omnibus racemis
 15 haec vindemia basiationum.

EPITAPHIUM CAESAREI MINISTRI

N_67 v.1 Hic jacet Arctoi dapifer Jovis : iste sub altis
 2 antiquae Paduae moenibus occubuit.

N_68 v.1 Hoc ego discessu, fateor, sum factus ut amens.
 2 Nam fleo quod domina cogor abire mea ;
 3 rideo : me dominae faciunt promissa superbum ;
 4 ardeo : nam mollis cor mihi flamma coquit ;
 5 frigeo : namque meus sol linquitur orbe remoto ;
 6 spero : mihi est certa namque in amore fides,
 7 et timeo semper quoniam timor instat amanti
 8 et dicit : "Nullum femina pondus habet."

ELEGIA PETRARCHAE

N_69 v.1 Quum rapidum vergit caelum versusque cadentem
 2 praecipitat Phoebus et fugit alma dies,
 3 et volat huc ubi gens nostro contraria caelo
 4 forsitan exspectat laeta videre diem,
 5 tristis anus procul a patria laribusque relictis
 6 accelerat gressus et magis atque magis ;
 7 nocte tamen blanda requie solata laborem,
 8 deponit curas et mala longa viae.
 9 Sed quoties ducit mihi lux infausta dolorem,
 10 duplicat infelix nox tenebrosa malum.
 11 Quum fuscae cedit nocti et sol mergitur undis
 12 atque altis major montibus umbra cadit,
 13 robustis collum tauris disjungit arator
 14 curvaque suspendit fessus aratra jugo :
 15 tunc epulas similes apponit glandibus illi
 16 et calidam fesso praeparat uxor aquam.
 17 Sed mihi nulla quies, cursu non astra benigno
 18 laeta favent : nox est tristis, iniqua dies.
 19 Ardentes pastor radios descendere solis
 20 quum videt et gelidus aere vesper adest,
 21 surgit et umbrosas fagos herbamque relinquit
 22 errantemque gregem sub sua signa vocat :
 23 deinde refert numerum et pastas ipse capellas
 24 et solita virga coget oves stabulis ;
 25 post illum aut spelunca tegit seu frondea tecta
 26 aut curarum expers ad stabula alta cubat.
 27 Sed me saevus Amor cogit vestigia saevae
 28 tigridis errando per juga celsa sequi.
 29 Illa meos spernit gemitus, nil carmina curat
 30 dum fugit et gressus fallit iniqua meos.
 31 Cur miseri nautae, in tenebris sub valle reposta
 32 prostrati in tabulis membra sopore levant ;
 33 me miserum, mediis pereor cur naufragus undis ?
 34 Cur mea vella mari turbidus Auster agit ?
 35 Omnia quae immenso spirant animalia mundo
 36 possunt alterna saepe quiete frui ;
 37 nulla tamen nostro succurrunt grata dolori
 38 gaudia : sunt errepta omnia nostra bona.
 39 Et quoniam rursus videor renovare dolorem,
 40 vespere disjunctos cerno redire boves,
 41 cur ego non itidem vinclis et amore solutus ?
 42 Cur me curarum tam grave calcat onus ?
 43 Cur molles lacrimis tam saepe rigantur ocelli ?
 44 Cur tam dura meo pectore versat Amor ?
 45 Vos igitur, nondum experti crudelia Amoris
 46 vulnera, si sapitis, his procul este malis.
 47 Vos vero quos una tenet concordia junctos,
 48 quos laetis oculis aspicit aequus Amor,
 49 pergite : ego infelix me spe dominaque relictum

50 rupibus his altis praecipitem ejiciam.

N_70 v.1 Spinosa, procul hinc abite, curae :
 2 nam nostram volo floridam juventam
 3 donec fata sinunt joco atque vino
 4 exercere. Puer, meas puellas
 5 vocato et geminos meos sodales.
 6 Certabit Ligurina cum Carino,
 7 quae miscere susurrulos loquaces
 8 una est aptior omnibus puellis
 9 et ferre oscula roscidis labellis
 10 et lingua ut Cypriae solent columbae.
 11 Flaminio dabit fututiones
 12 Lygde, quae tremulas nates movere
 13 nec sola invidet omnibus puellis,
 14 seu partes agat haec eques viriles
 15 sublato aut pede conseras duellum.
 16 Vos ergo, lepidi mei sodales,
 17 istuc accelerate nec severos
 18 senes unius assis aestimate,
 19 qui numquam juvenes velint videre,
 20 dum lugent mala pessimae senectae
 21 et vivunt odio sibi et puellis.
 22 Vos mecum pariter, boni et valentes,
 23 vernantis memores simul juventae
 24 vivatis simul integello amore :
 25 nam tempus volat et dies fugaces
 26 transeunt cito nescii redire.

NAENIA DE MORTE MATRIS

N_71 v.1 Et merito has lacrimas dono tibi praemia partus,
 2 cara, tui, genetrix : merito tua funera planctu
 3 prosequor et sacros intendo maestus honores
 4 et veneror tumulum multa prece tureque multo.
 5 Hunc decoro : alter ab undecimo nam volvitur annus
 6 quum tua sub lapide hoc feliciter ossa quiescunt.
 7 Illa tempestate meae nutricis alebar
 8 complexu in molli, me tertia coeperat aestas
 9 vix bene firmantem gressum et blaeso ore loquentem,
 10 cum mihi pallida mors misero te te abstulit ipsam
 11 injecitque manum viridi sub flore juventae.
 12 Vidi ego cum tristi procederet ordine pompa
 13 et caneret pulla vestitus veste sacerdos ;
 14 horrendum, sensi lacrimas : et acerba gemebat
 15 infelix pater et fatum damnabat avarum.
 16 Tunc parvi flebant fratres geminaeque sorores
 17 lugebant, nutrix gremio me cara tenebat
 18 implebatque sinum lacrimis, simul ipse dolebam o
 19 nescius, heu, tanti sceleris, parvusque videbar
 20 agnovisse nefas ; tunc illa nocte papillas -
 21 sedula namque olim mihi rettulit omnia nutrix -
 22 non ego libavi, digitis non ubera pressi,
 23 seu natura fuit seu quid caeleste lateret :
 24 tantum praesago suspiria corde trahebam
 25 haerebamque genis maestae nutricis, et ipsa
 26 fasciola madidos lacrimis abstersit ocellos
 27 compressitque genas simul et pia basia junxit

28 et : "Taceas, mellite puer, puer optime - dixit -
 29 mater enim spirat, mors illi saeva pepercit ;
 30 rus abiit dixitque mihi : "Servato puellum,
 31 o nutrix, donec redeo : cito laeta redibo."
 32 At postquam surgente efferri sole cadaver
 33 coeperat et toto sonuerunt aethere planctus,
 34 ipse pater gemitu circum atria longa sonabat ;
 35 ipse pater querulis implebat vocibus auras
 36 vixque pius poterat tantum sufferre dolorem,
 37 sed revocant animos natiue solantur et aegrum
 38 impliciti collo : curasque reponit inanes
 39 et modo conquestus cara pro conjuge rapta
 40 ingentem attollit luctum virtusque recursat
 41 nobilitasque animo et tanti matrona pudoris
 42 haeret (lacune) llius menti et fovet insanabile vulnus.
 43 Sola domus maeret, plangunt tua funera matres
 44 quas Athesis rigat et sinuosis Sarchius undis :
 45 Sarchius, ut fama est, liquidas dum fertur in undas
 46 Benaci, Nymphas Benacides exturbavit
 47 pacatumque imis excussit sedibus aequor.
 48 At tua progenies socio ferit aethera luctu,
 49 non aliter quam cum percussit arundine pastor
 50 servantem nidum volucrem, quae fixa repente
 51 ad terram cadit et natos vitamque relinquit :
 52 inscia progenies stupet et jam vespere sero
 53 expectat matrem et pastum praedamque moratur
 54 implumis matrem et rostro conclamat aperto.
 55 Praecipue infelix ego te per tecta vocabam
 56 illacrimans ; sine te reliquum nihil esse solebat :
 57 cum mihi fingebas lusus et grata canebas
 58 ad cunas, blandum invitans mihi voce soporem.
 59 Tu, flores intertexens et mixta corollis
 60 lilia puniceamque rosam rubrumque hyacinthum,
 61 ornabas caput et fulgentia tempora sertis,
 62 et pectus gemmis et ramiferis corallis
 63 saepius et flenti ridens blandiris alumno ;
 64 et modo turgidulas lactenti rore papillas
 65 exeris et modo lacte meos perfundis ocellos
 66 et modo te iratam vultu truculenta recondis
 67 et modo te profers vultusque ostendis amicae.
 68 Te modo fingis anum, simulata et imagine terres
 69 et cohibes flentem falsae formidine formae.
 70 Heu sortem miserandam, heu nescia corda futuri !
 71 Tunc mihi te rapuit mors improba, cum dare matri
 72 oscula nec licuit prisco de more parentum
 73 claudere maternos oculos et dicere matri
 74 extremum ore : "Vale", sacrosque intendere honores
 75 manibus. (Ite), pii vates, et carmine mecum
 76 hanc saltem celebrate aeternosque addite honores
 77 et myrthi folia et viridantem inducite laurum
 78 ad tumulum ut vivat divino munere vestro
 79 mater, et carmen maneat post fata superstes.

PAULO RICIO

N_72 v.1 Amabo, mihi, Paule, dic roganti :
 2 vidistine aliquem e meis amicis
 3 quos tecum Ticino simul profectus
 4 reliqui in patriam meam revertens ?

5 Ecquid gymnasii parens Iason ?
 6 Quid Picus facit alter ipse ab illo ?
 7 Num Pyrrhus valet ? Anne Calvus ille
 8 novi moenia quem tulere Comi ?
 9 Ecquid Curtii utrique, amati utrique,
 10 utrique egregii, eruditi utrique ?
 11 Sed, quaeso, incolumis mea est Batylla
 12 quam aequae ac hos oculos meos amamus ?
 13 Imo plus oculis meis amamus :
 14 nam me plus oculis amat Batylla.
 15 Qua solatus es allocutione
 16 illam me diu abesse conquerentem ?
 17 Nonne es pollicitus suum poetam
 18 quamprimum affore ? Nam scio quod illa
 19 me desiderio cupit nitenti,
 20 illiusque animo miser recurso,
 21 atque annus sibi lux videtur una
 22 cum secum viridi fruar juvena ;
 23 nec prae me illa velit Jovem tenere
 24 cum me sentiet esse tam propinquum
 25 quod mi basia mille, deinde mille
 26 et centum altera mille duplicabit,
 27 persolvens Veneri Cupidinique
 28 pingues pro reditu meo columbas.

ODE DISTROPHOS AD MORUM

N_73 v.1 Ille mi caelo et superis videtur,
 2 More, par, qui inter mediocritatem
 3 auream vivit neque sumptuosa
 4 pallet in aula,
 5 qui per hostilem est gladium expeditus
 6 ire pro cara patria et pericla
 7 quaeque metiri. Huic neque consularis
 8 purpura curae,
 9 nec peregrinus male feriato
 10 splendet in mensa tenui Lyaeus
 11 cum casa et fundo et lare liberali
 12 paupere vita.
 13 Huic neque horreni tuba rauca Martis
 14 eximit somnos neque proeliantum
 15 saeva vis sed nec feriente Erinny
 16 turba cadentum.
 17 Huic in umbrosis licet aesculētis
 18 tuta dormire : hunc neque ter bis Afro
 19 vestiunt lanae generosiori
 20 murice tinctae.
 21 O mihi, si sint mihi parva rura
 22 et greges, et sit mihi vita agrestis,
 23 ter quater felix ferar, imo ab omni
 24 parte beatus :
 25 dummodo et Phoebus tenuem Camenae
 26 spiritum haud mendax mihi det, profanum
 27 spernere et vulgum atque inimica sacris
 28 ora poetis !
 29 Non magis Croesi cumulata curem
 30 dona nec rubri Oceani lapillos,
 31 invidus nulli neque formidatus
 32 invidiosus.

AD GERMANOS

N_74 v.1 Affectate viam caelo, Germana juvenus,
 2 ut vestrum vates nomen in astra ferant
 3 nec dubitate mori et belli tolerate labores.
 4 Ite et parta foris signa referte domum :
 5 (N. . .) Justo contundite Marte tyrannos
 6 nam Caesar bello fulminat ad(...)Em.
 7 Quicumque hic morietur, habebit victor honorem
 8 supremum et digno funere notus erit.

ELEGIA AD BATTUM ET FRASTORUM ET FELICEM

N_75 v.1 Mobilis autumnus redit et jam praeterit aetas :
 2 annuus exactis mensibus orbis adest
 3 ex quo reliquias divinique ossa sepulchro
 4 condidimus Turri tristibus inferiis.
 5 Batte, igitur, seu te priscorum Roma virorum
 6 mater alit, Veneti seu tenet ora maris -
 7 nam te Veronae dixerunt adfore multi
 8 jamdudum et patrios deseruisse lares -
 9 pone illi tumulum et tumulo superaddito inani
 10 exuvias fratris tristia dona tui.
 11 Annua vota etiam veterum de more parentum
 12 et pompam sollemnem anxius exsequere ;
 13 namque infausta dies nigroque notanda lapillo
 14 haec tibi semper erit : sic voluere dei.
 15 Quod tibi ne rursus videar renovare dolorem
 16 singula praetereo : dicere nam miserum est.
 17 Nam tibi turgiduli tabescunt semper ocelli
 18 et pluvia ex oculis candida praecipitat,
 19 flebilibusque modis fraternum urgere sepulchrum
 20 non cessas teque his excruciare malis ;
 21 ulla tuum neque non possunt lenire dolorem
 22 gaudia, sed ploras fletibus assiduis :
 23 ante tuos oculos illius semper imago,
 24 semper et illius tristior interitu es.
 25 Hanc olim pietatem aeternis condere chartis
 26 nitar, scribendoque invigilabo magis
 27 ut te et haec alia et alia te quaelibet aetas
 28 et gens te Europae noscitet atque Asiae,
 29 laudibus eximiis et te vaga fama loquatur
 30 et veniens una atque altera posteritas.
 31 At tu quem Verona tenet, Verona virorum
 32 altrix et virtutum omnium amica parens,
 33 huc adsis, Frastore, et mascula tura cremato :
 34 hos manes multa ter venerare prece.
 35 Carmina dic quibus es Battum solatus amicum :
 36 talia nam noster carmina Marcus amat.
 37 Ille tibi moriens artem donasse medendi
 38 dicitur et famae consuluisse tuae :
 39 ille etiam te fraterno dilexit amore
 40 tempore quo vestis tradita pura tibi est.
 41 Crevit amor vester pariter crescentibus annis :
 42 nam studium atque eadem cura in amore fuit.
 43 Ille etiam juvenis causas arcanaque rerum
 44 astrorumque ortus noverat atque obitus ;
 45 illa tempestate ferox mors abstulit illum
 46 quum factis famam extenderet egregiis.

47 Purpureos igitur flores huic sparge sepulchro ;
 48 dic muto et "Requiem perpetuam" cineri.
 49 Tu quoque qui Tenni rupes colis, o bone Felix,
 50 quem bello et genuit Felsina clara toga,
 51 dic tumulo pia verba et lauro altaria cinge.
 52 Nonne vides ? Deus est Turrius ille, deus.
 53 Ecce novum magno processit sidus Olympo ;
 54 haec Turri sero vespere stella micat :
 55 exoritur nitidae semper dux praevia lunae
 56 et semper claro lumine conspicua est.
 57 Adsis, o Turri, nostraeque illabere menti :
 58 florida namque damus haec tibi sarta deo,
 59 gratamurque deum et meritos largimur honores
 60 teque salutamus rupibus aereis.
 61 Ipse tibi Phoebi natus favet : ipse rogatus
 62 Rippicolas saevo perdidit exitio ;
 63 nam fama est quum olim tua funera portarentur
 64 hos tumulum votis non decorasse tuum :
 65 illorum hinc saevit pestis vesana medullis,
 66 infecit miserum vulgus acerba lues.
 67 Rippiculae, hunc igitur tumulum celebrate quotannis,
 68 sanguine taurino pacificate deum.
 69 Respice me, Turri, interea : tibi munera semper,
 70 semper digna tua carmina morte feram ;
 71 neu te tempus edax scabra rubigine tangat
 72 saecula te in nostro carmine pervoluent.

ENIGMA DE HIPPOLYTA RUFF...A

N_76 v.1 Quid non par natura facit ? Nos vidimus ipsi
 2 quod tauro facta est obvia vacca suo ;
 3 et fortasse illam cornu petiisset adunco
 4 ni prior hanc curru dissoluisset equus.

EPITHAPHIUM DELPHINI ARCHENSIS

N_77 v.1 Ingratus, Delphin, patriae atque parentibus et dis :
 2 de me non est fas dicere plura mihi.

N_78 v.1 Laura, veni, te rura vocant, (sol) plaudit et aer
 2 atque inter frondes te levis aura vocat.
 3 Ipsi te montes, procul haec te rura salutant,
 4 laetitiaeque tuum nomen ad astra ferunt.
 5 Ingeminant plausum valles cavaque antra resultant :
 6 ecce ferunt nostrae munera Naiades.
 7 Et tibi dant calathos, quos circumplexus acanthus
 8 vestit, et hos hederæ brachia lenta ligant,
 9 et texunt niveis redolentia sarta ligustris,
 10 purpureis pingunt lilia mixta rosis :
 11 inflectensque tibi molles Polyhymnia voces
 12 per silvas passim carmina laeta canit.
 13 Et Canave Paphias servat tibi nota columbas :
 14 poma suis pendent roscida in arboribus.
 15 Benacusque pater placidis assurgit ab undis
 16 componens fluctus, et maria alta domat :
 17 fertque manu laurum a radice et quassat olivam
 18 et firmat felici omine connubium

19 aurato et plenos fundit limone canistros,
 20 et "Lauram" arguta litore voce sonat :
 21 addit citria mala et suaves miscet odores,
 22 et vos, o myrthi, carpit, odoriferae,
 23 et fert nodoso ramosa corallia trunco
 24 quae genitor Nympharum huic dedit Oceanus.
 25 At Nymphae alludunt crispatis leniter undis,
 26 quas Zephyrus paulatim incitat horrificans :
 27 Sirmio lascivisque tibi blanditur ocellis
 28 Garda et Veronae Turris amata tuae.
 29 Omnes certatim studio venere videndi
 30 et gens effusa est plurima litoribus,
 31 inclinatque tibi se nubifer Apenninus
 32 et quercus caelo quae capita alta ferunt.
 33 Huc ades et formosa satis ne despice rura :
 34 rura etiam Pallas, Phoebus et incoluit.
 35 Quin etiam ruri suus est honor : aspice ut ista
 36 rura humilesque etiam pax colat alma casas.
 37 Hic pax assidua est, hic est sincera voluptas :
 38 hic Mars nec somnos aera recurva fugant.
 39 Vexantur bello miseris cum civibus urbes :
 40 sunt procul a nostris proelia liminibus,
 41 bella malum commune, nefas commune virorum,
 42 bella virum et virtutum omnium amara lues.
 43 Hic umbrae altorum nemorum et de valle volutus
 44 fons gelidus rauco murmure saxa ciet :
 45 hic nitidi soles, hic indulgentia caeli,
 46 hic tristes animos gramina laeta movent.
 47 Adde quod et tenero venis exspectata marito,
 48 qui nunc jucundi tempora veris agit.
 49 Tecum hic formosus concordēs exiget annos,
 50 diceris pulchra tu quoque prole parens ;
 51 hic tibi erit castae turtur tuus et tua vita
 52 et soli dominae serviet usque tibi
 53 probraque committet cum nulla turpia moecha :
 54 nam tu formosa floridulo ore nites.
 55 Semper erit thalamo felix concordia vestro,
 56 Juppiter, ut rixarum omne genus fugiet ;
 57 utque ulmo vittis gaudet conjuncta marito
 58 quae se se extollit luxuriatque magis,
 59 sic felix eris ardenti conjuncta marito :
 60 vestra erit ex omni parte probata fides.
 61 Non decet amplius hunc patefactum abscondere amorem :
 62 laura, veni et dudum quod cupis ipsa cape.
 63 Hoc jubet alma Venus : Veneri ne, pulchra, repugna
 64 neu magnae spernas mollia jussa deae.
 65 Connubium ne sperne istud, ne inculta senescas,
 66 neu jaceas lecto caelibe frigidula :
 67 namque huic conjugio laeti assensere parentes
 68 et Caesar dextris annuit auspiciis.

OBSCAENAM PATRIS ET FILIAE CONSUEUDINEM DAMNAT

N_79 v.1 Patri filia pulchra copulatur.
 2 O dirum scelus et scelus nefandum :
 3 o audaciam in orbe singularem !
 4 Non possum hoc reticere prae dolore.
 5 Si non curat uterque vim deorum
 6 nec caeli metuit graves ruinas,
 7 si non famam hominum timet loquentum,

8 non saltem timuisse tunc decebat
 9 noctem, tecta facesque nuptiales
 10 et testem thalamum tori jugalis
 11 in quo nupserat alteri marito ?
 12 Ergo filia tam scelestas - contra
 13 quam fas est - patris est amore capta :
 14 inflammata libidine huc et illuc
 15 fertur, nec superat pudor furorem :
 16 pellexitque animum rudem puellae,
 17 ignaramque libidinis scelestus
 18 instruxit pater. Hanc suam vocavit
 19 sponsam ; hanc saepe suo ore suaviatus,
 20 non natas veluti solent parentes,
 21 et non ut decuit pium parentem :
 22 hanc et delicias suas vocavit
 23 et solaciolum omnium malorum.
 24 Jam non filia, sed parentis uxor,
 25 quod matri modo straverat cubile,
 26 pulsa matre, jubet sibi parari,
 27 ut nubat tenero suo parenti
 28 infausto auspicio et deis sinistris.
 29 Et mater videt ipsa pellicatum
 30 nata : nec revocat piis querellis :
 31 nec fletu assiduo movet maritum
 32 nec luctu quibus illa consenescit,
 33 amplexu aut vetito avocatur puellam.
 34 O dirum scelus ; o parens scelestas ;
 35 o nata improba pessimi parentis !
 36 Quis vidit Venerem magis nefandam,
 37 obscaenam magis atque inauspicatam ?

EPITHAPHIUM ALTINI ADOLESCENTIS SUBMERSI

N_80 v.1 Hunc tumulum laurusque et florida myrtus inumbrent :
 2 hic jacet et Musarum decus et Veneris
 3 Altinus, quem traxere in maria alta capillis
 4 nymphae, dum vitreis se speculatur aquis.
 5 Hic igitur veniet pelagi deus omnibus undis
 6 Oceanus, generum hunc et sibi Thetis emet.
 7 Hic et componet fluctus, huic serviet aequor :
 8 illius et nautae numina sola colent.

DIVO HADRIANO CARDINALI

N_81 v.1 Quod pax alma meos colat penates,
 2 quod felix ego sim, tuum, Hadriane, est.
 3 Sed te quis meritis remunerabo ?
 4 Decernam tibi supplicationes.

NENIA HIERONYMI NICHESOLAE

N_82 v.1 Heu puer infelix, virtute et fortibus ausis
 2 macte, puer, domini gloria Gonzagidae !
 3 Quae te fata aut quis miserum te casus ademit ?
 4 Invida fata et sors impia te rapuit
 5 jucundos cum ageres primae lanuginis annos
 6 floridulus veluti candida parthenice,
 7 quae dum intacta manet, dum florem ostendit honestum,

8 hanc aurae mulcent, educat aether aquis :
 9 sed postquam agricola hanc duro contusit aratro,
 10 demittit caput et flos sine honore jacet.
 11 In gyrum dum volvis equum et calcaribus urges
 12 terga ferox, praeceps desilis altus equo
 13 purpureosque tibi clausit mors pallida ocellos
 14 et bona tot furtim sustulit atra dies.
 15 Te luxit Manto veluti Venus aurea Adonim
 16 formosum et crines vertice dissoluit.
 17 Mincius indoluit vitreasque a sedibus imis
 18 exturbavit aquas fletibus assiduis.

RESPONSUM

N_83 v.1 Non vis suppliciiis remunerari
 2 quod pacis fueris bonus sequester.
 3 Hoc saltem mihi non potes negare :
 4 optabo hoc tibi, Julium perire.

AD DIANAM

N_84 v.1 Dum Baldi petimus sacros recessus
 2 qui sublimia fronte tangit astra,
 3 cujus plurima vallibus virescit
 4 morbis herba potens, potens et aegris,
 5 Dianam, o pueri puellulaeque,
 6 Dianae et teneram simul cohortem
 7 precemur mihi quod ferant salutem.
 8 Caelebs, o nemorum potens Diana,
 9 montium dea, montium patrona,
 10 vos Nymphae, Dryades Oreadesque,
 11 tu, Silvane, sacram ferens cupressum
 12 ab radice memor tui doloris,
 13 Phoebe, artis medicae potens repertor,
 14 et tu, Pan, deus horridi Lycaei,
 15 tuque, o Balde pater, precor docete
 16 quae sit herba valens levare amorem
 17 insano ut medicer meo furori.

N_85 v.1 Prima dies anni est : procul hinc, procul este, profani ;
 2 ore favete pii, nam sacer annus erit.
 3 Ture deos placare juvat, placare Tonantem
 4 qui patrem incolumem nunc mihi restituit,
 5 qui dudum graviter morbo confectus acerbo
 6 expulerat nostro pectore laetitiam.
 7 Nunc mihi dispeream si non sunt omnia laeta,
 8 dispeream si non omnia grata mihi.
 9 Nunc decet et lauros crepitantes urere flammis,
 10 nunc decet Assyrio tinguere odore comam :
 11 namque valet somnosque capit velut ante salubres
 12 et fugit e venis huic mala pernicies.
 13 Idcirco possum vobiscum ludere multum,
 14 o socii, et festo me exhilarare die.
 15 Quid magis optarem hoc ; quid erat felicius usquam ;
 16 quae poterat nobis clarior esse dies ?
 17 Et quis me vivit felicior ? Ite, sodales,
 18 laetitia hoc mecum tempore desipite.

AD LELIUM ET ALIOS SODALES

N_86 v.1 Quid ruri facitis, mei sodales ?
 2 Quae vos causa tenet diu morantes ?
 3 Jam saevus Canis ardor aestuosae
 4 cessavit, neque frigus est opacum
 5 captandum amplius arborum sub umbra :
 6 et jam frigida nox diesque caelo
 7 breves praecipitant. Redite in urbem
 8 et vino simul et jocis vacate.
 9 Nam tempus monet otio beato
 10 frui, dum licet, et juvena cursu
 11 veloci fugiens ait : "Valete,
 12 insani juvenes, procul recedo ;
 13 a tergo insequitur gravis senectus,
 14 et mortis comes et comes malorum."

DE SAXIS APUD DIVUM APOLLINAREM ARCHENSEM

N_87 v.1 Hanc molem praeruptam, haec saxa immania cerne
 2 ut passim e magno monte revulsa jacent :
 3 haec jam montis erant partes, sed singula sensim
 4 provolvit duro dente senecta gravis.
 5 Nil mirum est igitur si obnoxia corpora morti
 6 nostra cadunt : aetas impia cuncta rapit.

DE BATYLLA ET NEERA

N_88 v.1 Abjeci illepidae Batyllae amorem,
 2 hunc transfudi in amabilem Neaeram :
 3 namque una haec mihi mutuos amores
 4 promisit, dedit et fidem vicissim
 5 et dixit fore se meam puellam.
 6 Dixit ; sed quia perfidae puellae
 7 dum munuscula gestiunt apisci,
 8 viros decipiunt, fideque abusae
 9 et jurant et inaniter pacisci
 10 nil curant ; Venus istud adjuvato :
 11 et fac perpetuum utriusque amorem
 12 et dicta haec facias rata et probato.

AD MYRMICUM ET UXOREM

N_89 v.1 Pulchre convenit improbo marito
 2 uxor cui neque dos ager nec ullus,
 3 solum capsula araneis referta est
 4 nec curat tineas trucesve blattas :
 5 nam sola est toga trita lectulusque
 6 atque hic durior horridis lapillis.
 7 Ob hanc, Myrmice, te putas beatum ;
 8 nam : "Pauper, tamen - inquis - est venusta."
 9 Sed neque istud habet : labello hiante est,
 10 deformis macie, hirculis ocellis,
 11 tota est cornea, nec cacabit anno
 12 formicae similem cacationem.
 13 Sed nec - iudice me - haec satis beata est,
 14 maritum quod habet nimis voracem,

15 hanc qui prandiolo comesse possit,
 16 semper luridus esuritione.
 17 Sed tu non poteris tuam timere
 18 dotem ne voret. Uxor hinc beata es,
 19 hinc est conjugium bene auspicatum.

N_90 v.1 Vicini moneo, nostram servate puellam
 2 ut vitam in lecto caelibe iners faciat.
 3 Neu sinite hanc intro cupidos admittere amantes,
 4 lascivam facilis ne ruat in Venerem.
 5 Et si templa petit, ne quis malus auferat illam
 6 respicite, et nullis credite blanditiis.
 7 Quam tenerae aetati male creditur ! Illa venusta est,
 8 sunt animi molles formaque digna coli ;
 9 idcirco haud facile est pulchram servare puellam :
 10 ergo cur domina cogor abesse mea ?
 11 Ah pereat bellum, pereat quoque miles iniquus
 12 vastatum miseram qui petit Italiam !
 13 Si non bella forent, nos affore conaremur,
 14 nec timidum me absens excrucialet hera :
 15 hic intermissos instauraremur amores
 16 et Ticini staret nobile gymnasium.
 17 Invitus, fateor, terra Ticinide cessi,
 18 invitus : juro numina magna deum.
 19 Quamvis mens praesaga mali suadebat abire
 20 et quamprimum hostes affore rumor erat,
 21 illa tempestate patris non cura tenebat
 22 nec patriae dulcis me revocabat amor,
 23 sed Lalage, mea cura et carior omnibus una,
 24 curarum atque mali dulce levamen erat.
 25 Pro quo nunc ego vota deis (tot) munera porto,
 26 illius ut licea rursus amore frui
 27 et rimae arcanas iterum committere voces
 28 et tremulum ficta fallere voce senem :
 29 cum domina et nudis pariter certare lacertis
 30 ludereque in lecto millia multa simul.
 31 Haec pia fata velint : utinam fera proelia abessent !
 32 Dulcis Amor me hujus sisteret in gremio.

DE MARTINALIBUS

N_91 v.1 Martinalia sunt : puer, diotam,
 2 spumantem et pateras mero Lyaeo
 3 inger ; perniciem meri fugato,
 4 nec lymphis jugula vetus Falernum.
 5 Sonent vocibus omnia ebriorum.
 6 Jam Morus riget et tremit Bosellus
 7 et circum omnia (nunc) feruntur illis :
 8 inflarunt quoque venulas Iaccho !
 9 Ut se proluit aurea diota,
 10 ut vinum impiger hausit ore hiulco
 11 Hylas, deliciae mei poetae !
 12 Sex immania vasa gurgitavit
 13 pro dulci Lepida sua Nearchus,
 14 et pro litterulis suae Fabullae
 15 septem pocula candidus Trophinus.
 16 Ludatur pariter, simul bibatur ;
 17 collusor meus adsit et vocatus

18 compransor : madeant mero ministri.
 19 Scortillum madeat satis venustum
 20 nec possit tremulas nates movere :
 21 neget concubitus. Et natent olenti
 22 Lenaeo pavimenta : nunc Alexim,
 23 Veronae quoque flosculum patulcum,
 24 labantem videam modo hunc modo illum,
 25 hunc tardum, sed et alterum superbum
 26 nec concumbere possit hic neque ille.
 27 Franciscus vomat, et suo cachino
 28 hunc derideat ebrius Carinus
 29 nec dormire queat suam Bosellus
 30 insanus crapulam : huic liget Lyaeus
 31 linguam, atque ille loqui volens oberret.
 32 Nos vero adveniente nocte opaca
 33 fusi per tabulata dormiamus -
 34 pars nostrum in tabulis sepulta vino
 35 profundum capiat simul soporem :
 36 ad noctem quoque tertiam recumbat,
 37 nec quisquam excitet ebrios sodales -
 38 ut, cum illuxerit, illa nesciamus
 39 quae nos ebria turba fecerimus,
 40 hesterni immemores joci atque vini.
 41 Martinus comes hoc jubet Lyaei :
 42 his parere puto necesse divis
 43 qui curas abigunt molestiasque.

N_92 v.1 O pingui conjuncta viro, conjuncta marito,
 2 illepido, salve, hoc digna, puella, viro !
 3 Dispeream si vos umquam bona femina amare
 4 ulla potest nec vos quis puer ingenuus :
 5 nam semper vestros rixa turbatis amores
 6 et tristi haud tacitum voce cubile sonat.
 7 Pulvinus tamen est illic attritus utrimque
 8 Assyrio et mollis flagrat odore torus ;
 9 hic etiam tremuli argutatio plurima lecti
 10 quassaque sentitur sponda procaxque Venus ;
 11 sed postquam explestis lascivae munera divae
 12 vestra hinc atque illinc jurgia pervolitant.
 13 Lectulus hoc dixit, qui vos mala multa locutos
 14 sensit et audivit turpia flagitia :
 15 namque tibi conjunx dare toxica saeva minatur.
 16 Idque tuus genitor cognitum habere potest :
 17 namque illi hoc dudum multi dixere propinqui,
 18 sed non est curae, filia bella, patri.
 19 Dii magni, ut luxit funesto lumine taeda
 20 connubio huic et quam dira volavit avis !
 21 I nunc, infelix, et diti nube marito :
 22 Inferni Ditem nam reor esse deum.

N_93 v.1 Nec volo, nec possum, si vellem, perditte amare
 2 illam quae me ipsum non amat ex animo ;
 3 at contra non possem illam nisi perditte amare
 4 quam pariter nostri mutua cura tenet.

AD CAELARINAM

N_94 v.1 O dea quae caelo nomen deducis ab alto,
 2 Caelarina, deorum inclyta progenies,
 3 aetatis quantum flos est brevis, et cito forma
 4 labitur et formosa omnia praetereunt !
 5 Exerce virides annos et carpe juventam
 6 et Veneri assiduo munere des operam.
 7 Nonne vides veluti ver praeterit et redit aestas,
 8 succeditque brevi tempore tristis hiems ?
 9 Qui modo purpureum flores caput ostendebant
 10 languiduli passim decutiuntur humi.
 11 Non semper formae virides servantur honores
 12 nec semper crines per rosea ora fluunt :
 13 nec tu jucundos semper spirabis amores,
 14 non oculis eadem gratia semper erit.
 15 Nunc juvenes et mille proci tua tecta frequentant
 16 et jacet ante tuos Brixia tota pedes ;
 17 in foribus citharae pendent etserta coronant
 18 limina et hic juvenum plurima rixa sonat.
 19 Tu tamen ipsa cubas uno contenta marito
 20 qui dudum hiberna est frigidior glacie
 21 nec sapit hic instar pueri neque dignus amari
 22 (LACUNE)
 23 o si me quoque, diva, voles, formosa, maritum -
 24 ah mihi ne possis tanta negare bona -
 25 tecum ego felices agerem felicius annos :
 26 esses unanimi juncta, puella, viro.
 27 Dicere tunc posses : "Hic nostro dignus amore est ;
 28 quid mihi cum pingui, quid mihi cum stolido est ?"

AD ILLUSTRISISSIMUM CARDINALEM MADRUTIUM TRIDENTINUM

N_95 v.1 Illa dies tandem venit expectata mihique
 2 attulit ex omni gaudia parte dies.

DE LALAGE

N_96 v.1 Cedite, pallidulo labentia sidera vultu :
 2 nam nostro Lalage pulchrior orbe nitet
 3 et Lalages terris ostendit lumen honestum.
 4 Caede, o pruinosis Delia vecta rotis :
 5 nam tu fraternis radiis obnoxia fulges,
 6 nativo Lalage lumine clara micat.

IAMBUS IN RIPPAM

N_97 v.1 At o bene est ; jaces, iniqua patria :
 2 jaces, jaces, nefanda Rippha adultera,
 3 tuis sepulchra facta ubique civibus.
 4 Jacent et ossa solibus carentia,
 5 inominata pars feris rapacibus
 6 relictas : dissipata sunt cadavera
 7 et insepulta membra sunt sub aethere.
 8 Vagantur intus, intus horridi fremunt
 9 lupi, per ipsa templa sunt : imagines
 10 deorum et aera miris quam pallent modis !
 11 Collucet intus atra fax Proserpinae.

12 Tuam ergo pestis egit insolentiam,
 13 tuam repente dispulit libidinem.
 14 Sed haec putabas esse spreturos deos
 15 cum non timebas, impudica, Caesarem
 16 neque hoc putabas esse cognitissimum :
 17 eras lupanar hospitale virginum,
 18 amata Rippa scortis atque adulteris.
 19 Quid amplius vis, exsecrata patria ?
 20 Non te manet ruina, nullus exitus
 21 nisi revulsa monte saxa - quod precor -
 22 tuas repente everterint diras domos.

AD IULIUM ROMANUM

N_98 v.1 Dum Minci ad ripam veteres, Juli, advehis artes
 2 altera jam dici Mantua Roma potest.

FOSSATI PHILOSOPHI TUMULUS

N_99 v.1 Intima naturae Fossatus norat, eratque
 2 fossatus caecus lumine, mente videns.

AD TROPHINUM

N_100 v.1 Quaeris versiculos meos, Trophine,
 2 petisque a misero beata dona.
 3 Quod tu ne amplius haec petas neganti,
 4 atque aegro hoc animo et feras moleste,
 5 insanum accipe tu meum dolorem ;
 6 quod si non ego te bonum et fidelem
 7 cognossem et mihi mutuum sodalem,
 8 neque hoc versiculos tibi dedissem
 9 invita mihi conditos Minerva.
 10 Nam liqui Ticini meam Neaeram,
 11 meas delicias, meos amores,
 12 quae quodcumque mihi fuit beati -
 13 si quicquam mihi contigit beati -
 14 servans secum habet, et meae Camenae
 15 sunt mutae sine candida Neaera.

ODA AD SEIPSUM

N_101 v.1 Quo te caecus amor rapit
 2 ludi et sollicitae cura pecuniae,
 3 ut perdas, miser, ah miser,
 4 tempus, nonne vides, irrevocabile,
 5 quod ventis fugit ocius
 6 et velocius est fulminis impetu ?
 7 Quin tu quin potius petis
 8 florentem studio ignobilis otii
 9 Ticinum, et solita lyra
 10 olim incepta paras condere carmina ?
 11 Quin vulgus fugis insolens,
 12 ne famae venias immemor inclytae
 13 quae post fata renascitur ?
 14 [LACUNE]

N_102 v.1 Natus parvulus est meae sorori
 2 et matri similis suae et parenti :
 3 cognovitque piam repente matrem,
 4 porrexit teneras manus parenti.
 5 Jam patrem ore refert suo pudico.
 6 Explevisse nequit pater tuendo
 7 depascitque avidos suos ocellos :
 8 hunc miratur et elevat stupetque
 9 atque hic progeniem suam salutat.
 10 Nos ergo huic puero bene ominemur :
 11 huic annos triplices canant sorores
 12 cani Nestoris et dies Sibyllae ;
 13 forma Nirea vincat atque Adonim ;
 14 succrescat puer hic bonus poeta,
 15 orator bonus, et suos parentes
 16 sospites videat diu et beatos.
 17 Sic Parcae cecinere, sic futurum est
 18 dextrisque omnia nutibus probarunt.

VOTUM ATHIS AD BENACUM

N_103 v.1 Particulam hanc tibi de fracta, Benace, carina
 2 dedicat ille tuo litore natus Athis
 3 velaque suspendit discerpta furentibus Austris
 4 et quae naufragii est palmula facta comes.
 5 Addit et ultima vota : "Insanis obrue in undis,
 6 obrue Athin, postac si sua vela vides."

N_104 v.1 Si non est amor hic, ergo quid sentio ? Sed si
 2 est amor hic, quae res est nova noster amor ?
 3 Si bona, me miserum cur sic male perdit amantem ?
 4 Si mala, cur dulci miscet amara joco ?
 5 Ardeo si invitus, nihil haec suspiria prosunt :
 6 sed si sponte uror, unde mihi hae lacrimae ?
 7 Dulcis amarities animis versatur amantum :
 8 illud idem nobis displicet atque placet.

N_105 v.1 Hospes, si Helenam nesses antea,
 2 fato immaturo conjugii praereptam,
 3 flendo diceres :
 4 "Huic probitati et pudicitiae parentatum. »

AD MORTEM ; DE HELENA MADRUTIA DISTICHON

N_106 v.1 Erras si credis solvisse a conjugio caro,
 2 mors, Helenam : illa sui pectore viva viri est.

AD PICTOREM EX GRAECO

N_107 v.1 Ne mihi Pleiades pingas neque pinge Bootem :
 2 quid cum sideribus Pleiadibusque mihi ?
 3 Formosam Venerem et natos per inane volantes

4 pinge mihi : portet hunc fluvialis anas,
5 hic sedeat picto pavone, hunc Fasidis ales
6 portet, Strymoniam sed regat ille gruem.
7 Pinge Acidalias Charites laetumque Hymenaeum,
8 laetitiaeque patrem pinge mihi Bromium.

TUMULUS HELENAE MATRUTIAE

N_108 v.1 Virtutem ardentem propter moresque pudicos
2 credidit annosam mors Helenam, et rapuit.
3 O immaturam messem et vindemiam acerbam !
4 Attamen haec fructum post fera fata dabit.

DOLEAT QUI INVIDERIT

N_109 v.1 Si virtutes occuparent locum,
2 hospes, dic, quaeso,
3 quis Helenae Matrutiae tumulus esset satis.

AD ANTONIUM QUETTAM TRIDENTINUM

N_110 v.1 Recte Quietta diceris
2 cum des quietem litibus.

HELENES MADRUTIAE TUMULUS

N_111 v.1 Pulchram Helenen quondam celebravit Graecia : at istam
2 et pulchram et castam Italia et Germania laudat.

N_112 v.1 Non Helene haec Spartana : Helene est Madrutia ; formas
2 vicerat illa omnes, ista pudicitias.

N_113 v.1 Pone modum lacrimis, Madruti, et comprime luctum :
2 conjugis ereptae fato intabescis acerbo,
3 oblitusque tui et studiorum atque immemor otii
4 lustra petis montesque colis [LACUNE]
5 ah nimium tibi corde dolor gravis urit et, alte
6 infixum vulnus, tibi cara recursat [LACUNE]
7 progenies animo et raptae genetricis imago
8 tempore quo [LACUNE]

N_114 v.1 Ergo non potuit tam scaevum perdere corpus,
2 non scelerum potuit obruere unda caput ?
3 Parcite, dii, loquor iratus : non estis Olympo,
4 aut hominum vobis impia facta placent.
5 Ajacem potuit Pallas sommergere ponto
6 et dea tunc Furias illius ulta viri est ;
7 mutavit Bacchus nautas egitque profundo :
8 impune hic potuit praeteriisse salum ?
9 Nunc vexat fratres incenditque ignibus urbes ;
10 illius multo sanguine dextra madet

11 depopulatque aedes, spoliatque altaria donis :
 12 per populos praedas ille cruentus agit.
 13 At postquam huic superi, postquam rapida unda pepercit,
 14 hunc inimicus aquis torreat ignis edax.

EUGENII TUMULUS

N_115 v.1 Eugenii e medio vitam crudelibus armis
 2 sustulit ante suum mors truculenta diem ;
 3 quod voluit fatum, jussit natura, probavit
 4 mens mala : sic miser, ah, sed sine labe perit.

N_116 v.1 O nox candida semper et serena,
 2 felix somnule et o quies benigna
 3 qui desiderium meum attulistis !
 4 Quod falsum fuerit licet, voluptas
 5 jucunda haec tamen est misello amanti,
 6 dum solatiolo fruens inani
 7 pascit mentem avidam et suos amores
 8 absentes videt [LACUNE]
 9 Nox albo mihi calculo est notanda :
 10 nam visus sum ego candidae puellae
 11 quam quondam Ticini miser reliqui
 12 teneri in gremio et sinu foveri,
 13 illiusque manum mea videbar
 14 manu comprimere et suos ocellos
 15 mellitos sine fine suaviari,
 16 formosisque genis meas videbar
 17 formas imprimere, humidamque linguam
 18 lingua includere, suggere et salivam ;
 19 majorem fieri ipse sentiebam
 20 me ipso, nec potui hoc diu silere.
 21 Idcirco hoc subito poema feci
 22 quod misi tibi, Jane, teque amici
 23 volo participem esse gaudiorum.

N_117 v.1 Hippolyten flet Alexis, Amor flet, flet dea Amorum :
 2 solus Alexis, Amor solus et ipsa Venus.
 3 His aequus dolor est : ac quisnam fecerit horum
 4 majorem jacturam hoc obitu, ambiguum est.

AD MANTUAM

N_118 v.1 Sustulerit dederitne tibi plus, Mantua, caelum
 2 incertum est, dici sed sine fraude potest :
 3 "Ornasti caelum duplici tu sidere, et ipsum
 4 concessit geminis ut fruerere deis."

TUMULUS MELLIOLI

N_119 v.1 Non est interitus mors, est mutatio vitae :
 2 mors in Melliolo est vita alia atque alia.
 3 Hic inter n(...) Vixit notissimus (...)
 4 Nunc felix superum deliciis fruitur.

5 (LACUNE) fato doleat neque gaudeat ullus,
6 regibus aut doleat gaudeat aut superis.

DE DIE IUDICII

N_120 v.1 Qui mortis gelida sedetis umbra
2 jam jam surgite : rector ille Olympi
3 omnes evocat ad diem tremendi
4 certum iudicii ; tuba intonat jam :
5 exit nubibus (LACUNE)

DE HANNIBALE GONSAGA

N_121 v.1 Hannibalem ne fle, frater : ne flete, sorores,
2 ante diem quod mors hunc violenta rapit.
3 Ille diu vixit pulchra qui morte beatur,
4 est cujus tumulo gloria juncta comes.
5 Dum pro rege suo, dum pro Italia occidit armis,
6 haec illi aeternum fata decus pariunt ;
7 Hannibal aethereas iterum si surgat in oras,
8 non aliam mortem strenuus oppeteret.

IN DETRACTOREM NICOLAI COMITIS ARCHI AUCTORIS HUIUS LIBELLI

N_122 v.1 Dulces lacrimulas nostras ascribere Cottae
2 dum ausus es obliquo, Zoile, iudicio,
3 non solum tibi non irasci debeo : verum
4 debeo, quod vati conferor egregio.
5 At contra e tumulo indignatus Cotta : "Quis istas
6 lacrimulas nostris versibus inseruit ?"

IN EUNDEM

N_123 v.1 Non possum non tristari quod crimine furti
2 argueris nostras, Zoile, lacrimulas.
3 Non possum quoque non laetari adscripseris idem
4 quod nostras Cottae, Zoile, lacrimulas.
5 Nam mea dum confers docto mala carmina vati -
6 Jupiter - ut nullo es, Zoile, iudicio !

IN EUNDEM

N_124 v.1 Nescio utrum te Cotta magis vel debeam ego ipse
2 odisse, ambos qui crimine consceleras.
3 Furta mihi objectas, puerilia carmina Cottae :
4 o hominem vesano ingenio atque malo !

DE IUNIPERO. NICOLAI COMITIS ARCHII

N_125 v.1 Juniperi caperet somnum quum forte sub umbra,
2 fessus Amor, caelo lapsus ab aereo,
3 alma Venus doluit myrti quod sperneret umbram
4 atque inquit : "Poenas, perfide nate, dabis."
5 Nec mora : juniperi folio confixit Amorem
6 et liquit tenero spicula fixa pedi.

7 Olim hanc sensit Amor : "Mater, nil proficis - inquit -
8 tu tibi habe myrtum : sit mea juniperus."

EPITAPHIUM TOTI MUTINENSIS

N_126 v.1 Hospes, inauditam et miram rem percipe : Amor me
2 aeternum ut vivam perdidit, et domina
3 ore mihi proprio laqueum mandavit, ut ambos
4 nomine perpetuo saecla futura canant ;
5 scilicet extremum de me fecisse periculum
6 et nostram voluit morte probasse fidem.
7 Adde quod est nostros tandem miserata labores :
8 nam leto gratum quid magis est miseris ?
9 Sic tali aeternum reddit me funere, seque
10 ostendit sola saevitia esse piam.

CORONATO TAURI

N_127 v.1 Quum solitas linquit silvas, mea cura, Lycoris
2 et sol purpureum vergit ad Oceanum,
3 verno flore mei praecingit cornua tauri
4 atque illi e viola mollia sarta facit.
5 Ille superba ferens elata cornua fronte
6 respicit et blando murmure mugit herae.
7 Inde greges alios supereminet : ipsa Lycoris
8 tergore taurino laeta supervehitur.

AD VARGNANUM

N_128 v.1 Vargnane optime, cujus ore manat
2 sermo dulcior Attico liquore
3 et semper faciles fluunt Camenae,
4 ten' Lomasia rura detinere
5 possunt immemorem tui atque nostri,
6 mehercle, rura odiosa et infaceta ?
7 Num tanti decet aestimare rura ?
8 Sic nobis licet invidere ruri
9 qui dudum miseri atque destituti
10 intabescimus ob tuum recessum ?
11 O factum male ! Namque tu solebas
12 dulci carmine detinere Sarcam
13 et cantu lepido movere montes
14 quassans buxiferi caput Brioni.
15 Quare ad nos redeas rogamus omnes.
16 Causarum tonitru rogat Brunellus,
17 et fluens Latiae eloquentiae fons
18 Prandinus bonus ille Julianus
19 et Lepus pater omnium leporum ;
20 idem Didymus et Catullianus
21 Aliprandus agit, caputque calvum
22 ut cucurbita Devius Folentus.
23 Quod si nec preculae tabellionum
24 nec flectunt lacrimae piae parentis,
25 te saltem moveat jocosa turba
26 et Musarum amor, ipse diis amicus :
27 Arquensis patriae colens recessus
28 nobiscum bibe, lude, scribe, canta.

MARIÍ EQUICOLAE EPITAPHIUM

N_129 v.1 Exstinxi et traxi moriens vitia omnia mecum,
2 Equicola : heu saeclum jam sine labe, vale.

AD SATYNUM

N_130 v.1 Satyne, jam tibi canet caput (LACUNE)
2 natus ubi fueras te quoque terra tegat.

N_131 v.1 Venimus e silva lauri felicis ad umbram :
2 nam laurus longe Musarum jactat odorem
3 vatibus et late ramos diffundit apertos.
4 Felicem hanc silvam, silvam si laurus amabit !

N_132 v.1 Dum sequitur rabidam frondosis montibus ursam
2 venanti Alcippo, casta Diana, fave.
3 Effice ne toties latebrosis abdita silvis
4 eludat celeres per nemora alta canes
5 neu toties juvenem jaculo cursuve fatiget.
6 Tu, dea, fac votis pondus inesse meis :
7 tunc tibi longaevis pendebunt cornua cervi,
8 stabit et ante tuos bellua capta pedes.

DE LACHRIMYS AMANTUM

N_133 v.1 Felices lacrimae, suspiria mutua amantum
2 et (lacune) ex omni parte probata fides !
3 Vidi ego vos artis pariter pendere lacertis
4 et trahere in longas verba proterva moras.
5 Oscula quis numeret toties iterata labellis ?
6 Quanta fuit vestris laetitia in lacrimis ?
7 Ut fons prosiluit muscoso limpidus antro,
8 irrigat herbosi gramina laeta soli
9 paulatim, et labens tremulas furtivus in herbas
10 vicino ubertim flumine miscet aquam :
11 sic lacrimae mixtaeque genis oculisque fluebant
12 amorum atque sinus alter in alterius
13 plorabat. Tunc laeta Venus miscebat amores
14 sub tunica exercens dulcius officium.
15 Felices lacrimae, dulci quas tinxit amaro
16 maesta Venus laetae conscia tristitiae !
17 Carmine vos semper nostro ventura loquentur
18 haec atque illa aetas atque alia atque alia.

N_134 v.1 Matris in amplexu recubat dum Lygdus amatae,
2 dum vetitas vellet nollet inire vias,
3 mater ait : "Nostris si quondam, nate, doloris,
4 nunc solacioli sis quoque causa mei !
5 Ingredere, o bone nate et matris certa voluptas,
6 unde olim existi, teque utero abde tuo".
7 Quam contra arridens moribundis natus ocellis :

8 "Lac quod suxi olim nunc, pia mater, habe."

AD AURELIUM ET MAXIMUM RIPENSES

N_135 v.1 Perbelle facitis, boni sodales ;
2 mutuo facitis bene ac prudenter :
3 laudas Aurelium tuum disertio
4 versu, Maxime, teque laudat ille
5 et te tollit ad astra sublevatque.

AD ARETINUM

N_136 v.1 Aretine, legis nec erubescis
2 Franci carmina Tusca ?

ODE AD PAULUM CANDIDUM

N_137 v.1 Me non Myrhina pocula,
2 non argentea, Candide,
3 oblectant avidum, Paule, pecuniae,
4 Non quaesita maris gemma periculo.
5 Ad fontes gelidos juvat
6 lymphae et murmura garrulae
7 frondosa socios excipere illice
8 mensa graminea et populeo toro
9 factis fictilibus luto.
10 Illic fagineo scypho
11 de more agricolae pauperis ebibens
12 aut Flacci numeros difficiles sequi
13 conor vel gravis alitem
14 [LACUNE]

DE ALITPRANDO ARQUENSI

N_138 v.1 Nolli admirari cur Prabia jugera vendat
2 noster Aliprandus : causa parata sibi est.
3 Imprimis damnosa nimis vicinia Sarchae ;
4 idcirco dixit : "Sarchias unda, vale".
5 Praeterea horribilis flabat per pascua ventus :
6 vir bonus haud poterat tot mala ferre diu.
7 Illum cura domi, illum prati cura gravabat :
8 distabat nimium villula ab oppidulo.
9 Nunc penitus totas dimisit pectore curas
10 atque idem vacuus est foris atque domi.

DE VERSIBUS HIERONYMI AVANTII IN AUSONIUM POETAM

N_139 v.1 Qui Avanti modulos et hos et illos,
2 qui deinde Ausonii poema cernet,
3 Avanti aut modulos putabit esse
4 utrosque, Ausonii vel esse utrosque.

IN MORTEM CAESARIS MAXIMILIANI

N_140 v.1 Non nostro, ut solitum est, extincto Caesare, caelum

2 condoluit, nec sol tristia signa dedit,
3 sed fuit hiberno clementia tempore veris,
4 fulsit et ex omni parte serena dies.
5 Laetatum est veniente suo jam Caesare caelum :
6 at terris luctum liquit et invidiam.

ALIUD

N_141 v.1 Credunt mortales. Juppiter, te desipere
 2 postquam Caesarem vocas in socium regni tui.

ALIUD

N_142 v.1 Esse Joves geminos caelo dum credimus, etjam
 2 divisum caeli credimus imperium.

ALIUD

N_143 v.1 Invidit terris caeli te regia, Caesar ;
 2 nimirum imperium noverat illa tuum.

EIUSDEM AUCTORIS NICOLAI COMITIS IN IUNIPERUM

N_144 v.1 Hanc ego juniperum sertis et fronde corono ;
 2 haec mihi juniperus maxima semper erit.
 3 Nec laurus mihi malim aut coniferas cyparissos :
 4 despicio myrtos, o Cytheraea, tuas.
 5 Dum me juniperus molli circumtegat umbra,
 6 hanc ego silvestri pastor honore colam :
 7 vere novo innectam violis pro tempore ramos
 8 et feram odoratis lilia mixta rosis ;
 9 autumno stabunt pendentia roscida mala,
 10 mala excerpta suis nuper ab arboribus.
 11 Illi ego dona feram ; non hanc violare securi
 12 audeat aut illam rusticus igne petat,
 13 ut servata suos longo det tempore fructus
 14 aeternumque virens tollat in astra caput.
 15 Non hanc prosternant animosi flamina venti ;
 16 illam non aestas, non rigida urat hiems :
 17 juniperum foveat puri clementia caeli,
 18 proferat ut fructus semper odora novos.
 19 Ergo vos, Dryades, cum torrida venerit aestas
 20 radicem egelidi spargite fontis aqua
 21 densaque baciferis praetendite tegmina ramis,
 22 saeviet horrendo cum mala bruma gelu,
 23 ut faciles agitare sub hac convivia Nymphae,
 24 et solitas possit ducere Amor choreas.
 25 Vivat, et hanc Satyri multo venerentur honore
 26 sitque tibi curae, Delia silvipotens :
 27 saepe sub hac captes venatu fessa soporem
 28 intactam et serves dextera juniperum.

SCAZON

N_145 v.1 Amoena silva, vosque amabiles umbrae
 2 et flexuosi spissae arundines Minci,

3 aestus levare quae soletis et somnum
 4 vento incitare sibilante percussae,
 5 salvete, amoris unicae mei testes.
 6 Vestros recessus et reconditas sedes
 7 semper revisam ; vestri ero memor semper,
 8 seu Capriana me tenebit aut vasti
 9 vexata fluctu ripa amoena Benaci.
 10 Florente vere contigit mihi nuper
 11 legisse amoris primum, amoris optati :
 12 tu, silva, testis, ipse conscius lucus
 13 et quae dedistis, herbulae, torum dulcem.
 14 Nec vos amabo nec vestras colam sedes,
 15 reposta silva vosque amabiles umbrae
 16 et flexuosi densae arundines Minci ?

AD CONFALUM VERONENSEM ENIGMA

N_146 v.1 O Veronensium juvenum flos, Confale, dum te
 2 silvarum jactas conjugem habere deam,
 3 ah, cave ne in faciem cervi muteris et ora,
 4 et velut Actaeon cornua fronte geras.
 5 Non vult ad superos castae deperdere nomen,
 6 sit licet inferno nupta Diana deo.

AD HIERONYMUM AND... MANTUANUM

N_147 v.1 Conjugis usque tuae lateri tibi conscius haeres
 2 nec potis es, pedibus aeger, abesse domo :
 3 nil mirum est igitur si dicitur urbe : "Magis te
 4 nemo sua fruitur conjuge, nemo domo."

N_148 v.1 Dum vixi, tecum optavi, mea, vivere, vita ;
 2 dum sine te vixi, vita molesta fuit.
 3 Nunc tibi me aeternum jungunt communia fata :
 4 Mors haec quam vita carior et melior !

AD CARINUM

N_149 v.1 Nimirum es sapiens, Carine : namque
 2 qui sapit sapiens potest vocari.

ALIUD

N_150 v.1 Carmina tam graviter sapiunt tua, docte Carine,
 2 quam graviter foedi spiritus oris olet.

EPITAPHIUM ANTONII CRIBELLI

N_151 v.1 Claude nares et nates. Viator ;
 2 hoc sat est. Vale.

AD DIVUM ROCCHUM

N_152 v.1 Rocche pater, nam te pestes et pellere morbos
 2 aeriumque tua certum est frenare furorem

3 virtute, idque tibi superum dedit atque hominum rex
 4 pro meritis vitae sceleris sine labe peractae :
 5 seu nos ira deum Stygias detrudere ad undas
 6 justa parat pro criminibus, pro numine laeso,
 7 sive necem infesto coeuntia sidera vultu
 8 portendunt aegris mortalibus, ocius alto
 9 aspirans nobis praesens illabere caelo.
 10 Si te dura umquam tetigit mortalium egestas,
 11 adsis errantesque tuo nos numine firmes ;
 12 si te languentum quondam flexere querelae,
 13 cum te Romani passim obstupuere Quirites
 14 taetra salutifera lambentem vulnera lingua.
 15 In te firma fides, in te spes certa reposita est.
 16 Undique circumstat nos atrae mortis imago :
 17 hic atque hic dirae facies - miserabile visu ! -
 18 Apparent terrentque suis cum civibus urbes,
 19 oppidaque et villas subitis horroribus implent.
 20 Ipse vides veluti misere procumbat humi vir
 21 correptus tabe, optati sine honore sepulchri,
 22 utque cavas superent cumulata cadavera fossas.
 23 Ipse vides ut agat rabidus furor : ille fenestris
 24 praecipiti sese jecit per inania saltu,
 25 exosus lucem, et fatum superavit iniquum ;
 26 hic fluvio insanum mersat caput, ille volutus
 27 Benaco miseram immenso dat piscibus escam,
 28 infelix ! Alius ferro se obtruncat, et annos
 29 intempestivos cupit et finire dolores.
 30 Obscaenos igitur morbos age, queis bona mater
 31 et natos fugit infectos et filia patrem,
 32 consortemque tori languentem deserit uxor
 33 pallida tudentem ora et lumine torva tuentem.
 34 Dira lues, nigro et rabies armata veneno,
 35 foeda unguis, impexa comas, petat horrida regna
 36 Sauromatasque Thracasque et Parthos caede madentes :
 37 nos, per te dulcis servati in lumine vitae,
 38 servatae non ingrati memoresque salutis,
 39 annua vota feramus et annua tura sacello,
 40 dive, tuo, meritosque aris reddamus honores,
 41 votivis tua testantes opera alma tabellis.

AD CARINUM

N_153 v.1 Quod sis pestiferi halitus, Carine,
 2 quod merdam et sapias malos odores
 3 non sentit Lepus olfactivae naso.
 4 Pestilentius ipse nescio quid
 5 in te noscere jurat, et fatetur
 6 quod milvo similis sapias rapinam.

EPITAPHIUM MAXIMI RIPENSIS

N_154 v.1 Maximus hic habito : nummorum plenus, amicis
 2 orbus. Vix vixi vivere dum cupio.

ALIUD

N_155 v.1 Factis Maximus et nomine Maximus,

2 maturos senio, consilio impiger,
 3 infelix sobole, sorte beatior,
 4 quaerendaequae pecuniae
 5 nulli impar studio, hic cubat.

AD FILIOS ADOPTIVUS CANTELMAE EPISTOLA

N_156 v.1 Dicite, adoptivi quondam, nunc fabula, nati,
 2 quid juvat in mutum jurgia ferre caput ?
 3 Quid juvat injustis manes urgere querelis
 4 nec sinere optata me requie usque frui ?
 5 Quod vos fraudarim votis et divite censu
 6 Tartareos fertur rumor ad usque lacus ;
 7 ausus et est vestrum quidam exprobrare labores
 8 longaque frustrati tempora servitii.
 9 Quod vos spe falsa dicar lactasse fidemque
 10 promissam toties non tenuisse grave est :
 11 sed potius Stygiis remorata coercear undis
 12 et vaga ab Elysiis exsulet umbra locis
 13 Tisiphoneque adsit tortos innexa colubros,
 14 ardenti veniens in mea colla face,
 15 quam peccasse putem, quam vos luisse pudori
 16 sit mihi vel facti paenituisse velim.
 17 Audite haec, liquidi colitis qui litora Minci,
 18 quos Manto terra divite mater alit :
 19 ne me forte aliquis delapsam errore putaret,
 20 evictam tantis aut titubasse malis.
 21 Quid ? Si iterum superas fatis revocemur ad oras,
 22 mens eadem nobis quae fuit ante foret.
 23 Certum erat - ingenue ut fatear - dare verba protervis
 24 atque pari vestros excipere arte dolos :
 25 aurea cum vobis tantum Cantelma niterem
 26 quantum ulli arrisit femina blanda viro,
 27 ecquis me vestrum haud ficto dilexit amore ?
 28 Quid nisi captandi spesque animusque fuit ?
 29 Ecquis sermones expressit corde fideles ?
 30 Ex animo dixit quis mihi blanditias ?
 31 Saepe subit cum quis viventi munera misit,
 32 dixit et : "Haec animi sunt monumenta mei" ;
 33 munera subrisi simulataque verba notavi :
 34 hac quoque me finxi credulitate capi.
 35 Saepe ego sum causata malum et defessa jacebam
 36 componens querulis tristia verba modis :
 37 rumor ut arrectas placidus demulserat aures,
 38 quisque meam accelerat corde micante domum
 39 atque aliquis forsan, ridens, ut tristior esset,
 40 arida clam fuis lumina tinxit aquis ;
 41 dumque avidus gemmas partiri gestit et aurum,
 42 Parcarum longas increpat usque moras :
 43 quid referam ut nigros etiam promiserit agnos,
 44 truncassent celeri si mea fila manu ?
 45 Vana tamen Zephyri jactarunt vota per auras
 46 et flerunt nostros longius ire dies.
 47 Vidi ego qui nuper moriturae adstabat et aegrae
 48 attulit invita pharmaca sera manu,
 49 miscuit utque ferunt liquidum, male conscius, aurum
 50 inque suum vitam distulit ille malum :
 51 vidi ego quam tristi celaret gaudia vultu.
 52 Mens hominum tantis aestuat insidiis,
 53 ingenium quod ni cognossem callida vestrum -

54 ut facile in fraudes est genus omne virum -
 55 his capta illecebris potui Cantelma teneri :
 56 credenti insidias composuisse leve est.
 57 Vobis natura praescriptum est fallere et arte :
 58 fallere semper anus gloria rara fuit.
 59 Testis erit Circe fallacis crimen Ulyxei,
 60 quam liquit fugiens per maria alta rate :
 61 illum non potuit currenti sistere rhombo,
 62 illum non magicis flectere carminibus ;
 63 ingratum hospitio ut fuerat dignata superbo,
 64 debuit argutis perdere litoribus,
 65 aut illum in torvas facies mutare animantum
 66 ut poterat solito diva ministerio.
 67 Non tamen aucupio licuit me illudere vestro
 68 ut caderem in tensas, praeda petita, plagas.
 69 Scilicet est aliquid Gallos penetrasse comatos,
 70 vidisse Hispani regna superba soli
 71 et Rhenum Rhenique urbes tranasse bicornis,
 72 tot terras, populos, totque adiasse freta ;
 73 naturae est aliquid novisse arcana latentis,
 74 percurrisse animo tot rapidi astra poli,
 75 tot versasse manu victura volumina vatum,
 76 fallere Cantelmam non potuisse tamen.
 77 Ergo haec femineo succrescet gloria honori :
 78 haec mihi post cineres fama superstes erit.
 79 Hoc etiam facto letum illaetabile risit
 80 et fuit infernae mollior ira deae :
 81 me fortunatis posuit Proserpina campis,
 82 ver ubi perpetuo gramine vestit humum.
 83 Illic extollunt me laudibus heroinae
 84 et quaecumque aliquo femina laesa viro est.
 85 Turba mihi assurgit matrum et comitatur euntem.
 86 Dum spatior felix per nemus Elysium,
 87 meque aliquis digito ostendens miratur et inquit :
 88 "Haec potuit doctos fallere cauta viros."
 89 Audiatur imprimis nostrae haec solacia mortis,
 90 sentiat has voces diva Isabella meas,
 91 heredem extremis libuit quam scribere chartis,
 92 ut famae accedat laus geminata meae.
 93 Illa mihi jam jam moriturae lumina clausit
 94 et flens extremum dixit : "Ave atque vale".
 95 Haec mihi non solita est viventi innectere fraudes :
 96 novi illam a parva virgine habere fidem.
 97 Quam bene honorato componens membra sepulchro
 98 tura dabit cineri non inodora meo !
 99 Placabit superos votis, purgetur ut omne
 100 contractae reliquum quod mihi labis erit,
 101 templaque constituet nostris mandata tabellis
 102 et sacra virgineo tecta habitanda choro.
 103 Vive igitur, mea dulcis hera, et felicibus annis :
 104 subrepat capiti tarda senecta tuo.

AD ILLUSTRISSIMUM FEDERICUM PRIMUM DUCEM MANTUAE

N_157 v.1 Mantua jam tibi, dux, plus se debere fatetur
 2 quam qui ipsam captis condidit auspiciis.
 3 Nam multo est, ut scis, claram praestantius urbem
 4 cingere quam muro, moribus excolere.
 5 Quid, quod eam vallas muro et virtutibus ornas ?
 6 Hoc scutum est belli : pacis et esse ducem.

AD ALCONEM

N_158 v.1 Philosophum Plato te negat hac ratione quod, Alcon,
 2 communem nulli rem sinis esse tuam.
 3 Uxorem quod communem sinis omnibus esse,
 4 hac Plato philosophum te ratione probat.

LACRIMAE IN PARIDEM CAESAREUM MANTUANUM

N_159 v.1 Dum Paridem raperet vulgantem arcana deorum
 2 mors, Jovis imperio, Juppiter intonuit :
 3 "Mortales, audite - inquit - caeli abdita posthac
 4 qui sciat, adjuro per Styga, nullus erit".

AD FLAVIAM

N_160 v.1 Quem refugis fugio ; quem odisti, Flavia, et odi :
 2 cuique potes possum, vita, adhibere fidem.
 3 Sic postquam odisti me, Flavia, semper et odi
 4 me miserum, potui nec bene velle mihi.

IN HERCULEM GIRLANDAM

N_161 v.1 Non dolet Alcides fato quod raptus acerbo
 2 aut quod servili concidit ense miser ;
 3 dilecti haud pueri suspirat funera, quando
 4 non poterat tumulo gratior ire comes :
 5 hoc unum gemit aeternumque gemet, quod amatas
 6 dira canis pueri est ausa notare nates.

AD CAMILLUM LUPUM

N_162 v.1 Ergo, Camille, patrii decus soli,
 2 tuos relinquis ipse sic amiculos ?
 3 Praeponis ipse rura sic sodalibus ?
 4 Ergo antefertur albulis puellulis
 5 calore solis usta Thestilis genas ?
 6 Rura infaceta praeferuntur urbibus
 7 praeque amne sacro Mincii Olius placet
 8 et qui palude Tartar exerit caput ?
 9 Jam jam expeditae adeste, adeste, sarcinae :
 10 libelli, adeste, quotquot estis, aurei,
 11 curas levare qui soletis anxias.
 12 Nil me hic juvat morari : abire me juvat,
 13 Camillo eunte. Vos valetate, candidi,
 14 sincere amati amore perditissimo,
 15 Gonsaga, Prette, Strozza, Laeli, amabiles ;
 16 vale, mi amate Minci, amata Mantua,
 17 meisque dicta versibus Venus Teia ;
 18 tu, Capriana, salve, amoena collibus
 19 silvisque pratisque hospita arborum comis.
 20 Salve, pater Benace : ut ipse gestio
 21 amoena lintre pervolare litora
 22 odoro citri germinantis halitu !
 23 Fors et salutans te, Brione buxifer,

24 inter superba montium cacumina,
 25 colam relictā sponte tecta patriae,
 26 donec hiems nivosa me coegerit
 27 cohorsque docta Mantuam revisere.

AD FIAERAM

N_163 v.1 O naturae opus absolutum utrimque,
 2 Fiaera, pater eruditionum
 3 et spes unica jam labantis aevi,
 4 num te non miseret pudetque saeculi,
 5 saeculi ranciduli atque pestilentis,
 6 cum tot conspicias malos poetas
 7 inflatos, rigidos, licentiosos,
 8 tot malos medicos superbientes
 9 passim incedere per fora et theatra
 10 et versu obstrepere ut protervus anser,
 11 miscere et populo malum venenum ?
 12 Hos Manto veneratur, hos salutat,
 13 eblanditur et elevat stupetque :
 14 illorum caput osculantur omnes.
 15 At tu - quod male habet tuos amicos,
 16 quod me ipsum excruciat magis magisque -
 17 una cum lepidis tuis libellis
 18 despectus populo et jaces sepultus,
 19 invisus quoque saeculo infaceto.
 20 Cogaris vacuus domi latere
 21 et scombris tua scripta dant cucullos
 22 cum damno opprobrioque litterarum ;
 23 commentaria mugiles haescunt,
 24 damnum et pauperiem librariorum.
 25 Haec cernes, Aretine, et oscitabis ?

IN EUNDEM

N_164 v.1 Jactas te medicum, Fiaera, vatem :
 2 hoc est te medicum, Fiaera, fictum.

IN EUNDEM

N_165 v.1 Ipse sibi posuit tumulum titulumque Fiaera
 2 mortuus an vivus sit dubitat populus

IN EUNDEM

N_166 v.1 Si vivo tumulum tibi parasti,
 2 quid cessas igitur mori, Fiaera ?

DE CUPIDINE DORMIENTE APUD ILLUSTRISSIMAM ISABELLAM ESTENSEM

N_167 v.1 Tu puerum vexare cave, Cytherea, protervum
 2 dum carpit somnos lumine languidulo.
 3 At vos securi interea requiescite, amantes,
 4 deposita fessus dum face dormit Amor.

IN FONTEM HYDROELLUM CAPRIANAE

N_168 v.1 Et quercum fons hic et fontem quercus amabit,
2 et bibet et ludet semper Hamadryas hic.

IN EUMDEM FONTEM

N_169 v.1 Invitat vitreo Dryas hic et Nais ab antro :
2 arboris haec genius, fontis et illa dea est.
3 Haec volucrum ramis concentus praestat opacis
4 atque umbram medio sufficit alta die ;
5 illa sitim saliens restinguit margine vivo
6 garrula dum rauco perstrepat unda sono.

N_170 v.1 Laudasti Pyrrhum vitam dum viveret, amens,
2 defunctum decuit quem mage laude sequi.
3 Tunc lauda cum philosophum regemque videbis
4 aut raptum curru sidera ad alta deum.

ALIUD

N_171 v.1 Philosophum, P(yrrhe), profiteris : nec nego certe
2 quin barbam et linguam non habeas cynici.

ECLOGA UNDECIMA

N_172 v.1 Benaci ad liquidas undas Sicinia propter
2 litora dejectus viridis sub robore myrti
3 cantabat Lycidas insano accensus amore
4 [LACUNE]

N_173 v.1 Haec nemora, hi colles atque haec levis aura susurro
2 quae nemorum densis sibilat in foliis
3 invitant dulces aestivo sidere somnos,
4 dum tremulo obloquitur garrula lympha sono.
5 Integrat hic veteres tristis Philomela querelas
6 et querulo argutos concinit ore modos ;
7 purpureos nectunt inserta nitentia flores
8 Naiades, hic semper sufficit herba torum ;
9 explicat hic densos quercu labrusca racemos
10 atque tenax hedera hinc implicat, implicat hinc
11 ilicis antiquae ramos et brachia nectit.
12 Huc ades et mecum, pulchra Lycori, cane.

INSCRIPTIO FONTIS CAYCI IN SECESSU CAPRIANAE. MDXXXIX

N_174 v.1 Dum quercum fons hic, dum fontem haec quercus amabit,
2 et bibet et ludet semper Hamadryas hic.

AD AMICUM

N_175 v.1 Fers aegre obliquoque etiam me lumine spectas

2 quod vitae optavi fila severa tuae.
3 Desine ; mutata est sententia, amice : recanto
4 optoque sint vitae mollia fila tuae.

AD MAXIMUM RIPENSEM

N_176 v.1 Maxime, te retinent ventosae litora Ripae
2 quam pater insanis Benacus percutit undis.
3 Illic - ut fama est - doctorum more virorum
4 exerces Musas victuraque carmina cudis,
5 aut studio incumbens immensa volumina legum
6 volvis, sollicitans numquam fora litibus orba ;
7 neve ingrata fluant tibi tempora, saepius hortum
8 excolis, attenuans citros et falce comantes
9 dites Hesperidum silvas atque aurea poma.
10 At nos, saxosae Caprianae in collibus altis,
11 ne nos forte putes pigro torpere veterno,
12 mane novo ad primi radios surgentis Eoi
13 sectamur lepores canibus per devia fidis.

AD ILLUSTRISIMUM ALOYSIUM GONSAGAM MARCHIONEM

N_177 v.1 Et merito es dignus laudari carmine magno,
2 magnanime o Gonzaga : mihi sed tenuia Musae
3 carmina sufficiunt, tua queis ego dicere facta
4 si coner, medio in cursu labar pede utroque.
5 Te tamen his paulum dictis affabor amicis
6 ut noscas quo te venerer, quo secter honore :
7 namque tui - ut fatear - jam sum inflammatus amore
8 quod bonus ipse tuas res justa lance rependis
9 quodque aliquid semper meditaris principe dignum,
10 ut patrium superes geminata laude vigorem.
11 Ne ut ingrata fluant tibi tempora, saepe fatigas
12 venatu cervos et equos torquesque retorquesque
13 in gyrum, blandaque manu moderaris habenas ;
14 militiamque pati jamdudum assuetus et arma,
15 oppida praecingis muro ; tu moenia vallas
16 aggeribus, merito ut te hostes timeant et amici
17 observent, bello ne patria devastetur.
18 Et quandoque juvat gravioribus applicuisse
19 intentum studiis animum : juvat alta vagari
20 sidera et immensos caeli percurrere tractus,
21 ingenium ostendens cunctis versatile rebus.
22 Quodque tibi aeternum pariet per saecula nomen,
23 quod numero ascribet superum caeloque beabit,
24 olim latrones furtis et caede superbos,
25 praeda exsultantes aliena, extrudis ad Orcum,
26 qui neque vim superum aut mortalia jussa timebant.
27 Heu pietas ! Tuto haud carpebant gramina pratis
28 armenta ; haud tuto sese armentarius agris
29 credebat ; trepidi subigebant arva coloni,
30 nec securus erat taurus disjunctus aratro ;
31 nec poterat virgo tectis se efferre paternis.
32 Ah quoties nemore in medio et convallibus imis,
33 dum servat pecudes pastor, dum vimine textit
34 fiscellam aut dulci silvas demulcet avena,
35 ingemuit subitis actos incursibus haedos,
36 ploravit miseris raptos cum matribus agnos !
37 Talis Aventino vaccas in monte trahebat

38 aversas Cacus, quem quondam maximus heros
 39 Alcides saxis et duro robore pressit.
 40 His tibi pro meritis, Luysi justissime - postquam
 41 non opis humanae est - dii praemia digna rependant
 42 teque diu servent terris non invida fata,
 43 si incensas pietate preces bona numina curant.
 44 Salve igitur, decus heroum, qua vindice tellus
 45 Itala se et tanto semper jactabit alumno
 46 et felix caelo solitos aequabit honores :
 47 sed nunc imprimis, dum tu pro Caesare magno
 48 avertis Gallum campis Insubribus hostem.

HYMNUS IN DIVAM OSANNAM. ODE

N_178 v.1 Diva, quae, mores imitata castos
 2 Virginis summae, caput alta caelo
 3 aureum ostendis rutiloque frontem
 4 cingeris astro,
 5 ipsa, letali vitio interempto,
 6 orbis insani illecebras et orbem
 7 spernis, humanos pedibus tuis sub
 8 mittis amores.
 9 Non toro emolli aut libet otiosa
 10 alitum pluma requiescere, inter
 11 quos Syri mittunt Arabesve odores
 12 aut niger Indus :
 13 tantum humo nuda patiens recumbis
 14 frigoris, juxta patiens caloris ;
 15 saepe deffessa tibi supplicanti
 16 membra fatiscunt.
 17 Ipsa naturae tenui apparatu
 18 sufficis victum ; tibi texta cultu
 19 sordet aurato Tyrioque vestis
 20 murice tincta ;
 21 simplici contenta fide tenaxque
 22 unius desiderii atque honesti,
 23 laeta qua victos ratione sensus
 24 nectare pascis.
 25 Dumque caelestum meditaris alta
 26 mente thesauros meritis parare et
 27 praemia aeterni patris illa, nusquam
 28 obnoxia morti,
 29 dum crucem et saevos meditaris ictus
 30 et Deus quicquid tulerit laboris,
 31 dum subit matris dolor et nefandae
 32 mortis imago,
 33 sensibus sensim pia mens relictis
 34 evolat : vinclis animus solutus
 35 corporis, Christo associatur et fit
 36 copula felix.
 37 Qualis aspectu superum beato
 38 ille Thesbites, sacer ille vates,
 39 flammeo raptatus in astra curru
 40 lumina pascit,
 41 talis aspiras ad amata regna,
 42 talis affectas iter atque Olympo
 43 errigis mentem, nec adhuc soluta
 44 carcere taetro,
 45 fas tuis tandem meritis apisci
 46 Caelitum sedes, meliore postquam

47 vita mutata est, ubi nulla rumpit
 48 cura soporem,
 49 pax ubi certa est, animusque recti
 50 conscius gestit bene munerari
 51 facta, dum visu triplicis potitur
 52 numinis ardens.
 53 Hinc pios audis gemitus, Osanna :
 54 hinc vides curas hominum benigno
 55 lumine et vultu propiore terras
 56 despicias imas.
 57 Nec sinis nostris precibus deesse
 58 pondus : ut defers placidas ad aures
 59 maximi divum patris, ille laeto
 60 annuit ore.
 61 Mantuae, virgo, decus, et sacerdos
 62 grata diis, ascripta eadem dearum
 63 coetui, votis tua nunc adimus
 64 templa frequentes.
 65 Pendulae multa prece si tabellae,
 66 si peregrina madefacta nardo
 67serta nec desunt Arabum liquores,
 68 mascula tura,
 69 Mantuam exaudi, dea, supplican-tem -
 70 vita nam pendet populorum ab uno
 71 omnium - affecti, dea, pro salute
 72 Principis audi.
 73 Sic tibi ante aram Tyria sacerdos
 74 veste spectandus sacra det quotannis ;
 75 sic odoratis tua templa semper
 76 floribus halent.

AD TRIDENTUM

N_179 v.1 Quod tibi sint arces, Athesis tua moenia lambat,
 2 quod sit ager Baccho fertilis et Cerere,
 3 vicino ridere potes de colle, Tridentum,
 4 et superis grates ore referre pio.
 5 At tibi quod centum sint templa, altaria centum,
 6 omnia plena sacris, omnia feta deo :
 7 justitia et, felix, alma quod pace fruaris,
 8 quae jam temporibus exsulat orbe malis,
 9 id Clesi munus : beat hoc te ipsumque fatetur
 10 demeruisse homines, demeruisse deos.

IN COMITEM LUDOVICUM LOTRONIUM

N_180 v.1 Innumeris saeptus Parthis, dum occumbere mavult
 2 pugnando foedae quam dare terga fuga :
 3 aeternum caelo et terris Lotronius heros
 4 vivit et haec pulchrae praemia mortis habet.

IN HERMAGORAM MALUM MEDICUM

N_181 v.1 Dum rapis Hermagoram, tibi, mors, inimica fuisti :
 2 vivendo hic poterat te satiare satis.

EX GRAECIS

N_182 v.1 Nec postac, coryli grata dejectus in umbra,
 2 mulcebis pecudes carmine, Daphni, tuas,
 3 nec patriis posthac texes umbracula Nymphis,
 4 populea sternes nec tibi fronde torum.
 5 Juppiter afflavit te fulmine : vespere sero
 6 ad stabula attonitae vix rediere boves.

IN PETRUM POMPONATIUM PHILOSOPHUM

N_183 v.1 Mortalem esse animam dixi dum vita manebat :
 2 at nunc immortalem esse scio et doleo.

IN IOANNEM MEDICEM

N_184 v.1 Dicerem ego ingenue : "Scelerum hic genus omne sepultum est".
 2 Si pariter Clemens hoc jaceat tumulo.

IN MALUM MARITUM

N_185 v.1 Componi tumulo mandas cum conjuge, cum nil
 2 in vita ambobus compositum fuerit.

PROSOPOPAEA. RHODOMON LYSAM ALLOQUITUR IN SOMNIIS

N_186 v.1 Desine me, Lysa, assiduis urgere querelis,
 2 nec profectura voce ciere deos ;
 3 parce incompositos patrio de more capillos
 4 scindere et immeritas ungue notare genas.
 5 Indignum est maerore sequi Rhodomonta, nefasque
 6 imperia et leges increpuisse deum,
 7 cum mihi praereptae compenset tempora vitae
 8 gloria, sitque annis longior innumeris.
 9 Me doctae poterunt nusquam non dicere chartae,
 10 nullaque non aetas ferre per ora virum ;
 11 longa dies cineres absumit et ossa sepulchris :
 12 clara sed heroum facta abolere nequit.
 13 Si tamen exoptas placidos requiescere manes,
 14 neu vager incertis sedibus umbra nocens,
 15 si neque communes laesi vivens hymenaeos
 16 mutua nos postquam junxit amore fides,
 17 effice ne primo quisquam potiatur amore,
 18 occupet aut casti regna secunda tori :
 19 ut tua fax nostro primum est accensa calore,
 20 vivat ad extremos sic tua flamma rogos.
 21 Evadne exemplo tibi sit, sit Laodamia,
 22 utraque inexstinctae fama pudicitiae,
 23 ardorisque tui specimen sit regia conjunx
 24 quae potuit cineres ebibere ore viri :
 25 illae perpetuo devinctae lumina somno,
 26 viva sed egregium fama recenset opus.
 27 Nec tamen ut moriari precor, neque, Lysa, dolore
 28 victa, maritali praecipitere rogo.
 29 Te cupio erepti cura exardere mariti
 30 et tantum viduo secubuisse toro :
 31 difficile est, verum efficies, licet ipsa juventae

32 laetaque formosi tempora veris agas.
 33 Aspice ut exosa est alias Victoria taedas,
 34 gentis et una tuae gloria Parthenopes ;
 35 haec magni manes veneratur casta mariti
 36 et famae aeterna consecrat historia.
 37 Invicto felix Victoria digna marito :
 38 non alia ille heros conjuge dignus erat !
 39 Haec volui dixisse olim : sed tenuia Parcae
 40 deducta instabant rumpere fila colo.
 41 Ter volui mandasse tibi ; ter frigida lingua
 42 substitit : et gravius id quoque morte fuit.
 43 Dum potui, tamen, ipse tuos moribundus ocellos
 44 aspexi et lacrimis ora rigata piis.
 45 Nec dolui ante diem spoliari lumine vitae
 46 intempestivae duraque fata necis ;
 47 nec gemui patris aerumnas fratrisve querelas,
 48 qui raptis de tot fratribus unus adest ;
 49 non aviae, vidit quae funera acerba nepotum
 50 et potuit tantis consenuisse malis :
 51 tam subito indolui divelli a corpore amato,
 52 tam subito a cara conjuge abesse mea,
 53 pro qua tot pugnata mihi sunt proelia, quae me
 54 praeposuit magnis sollicitata procis,
 55 quam cito mors nostri fructum interceptit amoris,
 56 quam cito me optato sustulit e gremio.
 57 Ut nubes, caelo quae candida ludit aperto
 58 vere novo, Zephyri tuta favore volat :
 59 illa supervehitur terras, illa aere pendet
 60 composito atque humeros ardua pascit Atho ;
 61 mox alii atque alii flantes animosius Euri
 62 hanc glomerantque rotantque aethera perque ferunt
 63 et modo praecipiti gyro, modo turbine fertur
 64 et tandem in ventos solvitur aereos ;
 65 sic mea vota et spes evanuit omnis in auras
 66 irrita, et Ioniis scripta natavit aquis.
 67 Optabam hibernas tecum traducere noctes
 68 horrida post durae tempora militiae ;
 69 optabam exhaustos tecum conferre labores
 70 et Tusca auspiciis oppida capta meis ;
 71 ut virtute mea atque ausis felicibus Ancon
 72 Clementis magni cesserit imperio,
 73 utque triumphatis rediissem moenibus Arri,
 74 quae modo victori causa fuere necis,
 75 utque animo invictus longe majora pararem :
 76 extremos bello tendere in Aethiopas,
 77 atque illic nomen factis protendere clarum
 78 justaque magnanimi Caesaris arma sequi.
 79 Certum erat Aemoniis tentoria figere campis
 80 et Marte indomitos perdomuisse Scythas,
 81 aurato e solio dejectum extrudere regem
 82 aut urbes captum ducere ad Ausonias.
 83 Tecum intermissas meditabar visere Musas,
 84 aptare et lyricis carmina Tusca modis.
 85 Carmina nam recolo quae - dum fera classica cessant -
 86 lusi Pieridum non renuente choro.
 87 Nec Phoebaea minus colui quam Martia signa :
 88 utraque et hinc meritis laurea parta meis.
 89 Sed quid profuerunt vota haec, si vulnus adactum est
 90 letale, et victa fulmen ab arce venit ?
 91 Scilicet egregiis hominum mors invidet orsis :
 92 odit nescio quis grandia coepta deus.

93 Sic raperis, prima, Memnon, fraudate juventa,
 94 sole coloratos dum subigis populos ;
 95 sic necis impavidos sequeris dum, Druse, Suevos ;
 96 et matri et patriae tristia fata refers :
 97 florentes aetate ambo et praestantibus ausis.
 98 At non humani funeris una via est :
 99 quippe meo Marcus fato atque Trivultius olim
 100 illustresque armis tot cecidere duces,
 101 Gallica cum Ticinus transfixa cadavera volvens
 102 in mare purpureis territus iret aquis.
 103 Sic Medices heros gentis, dum Rhaetica vexat
 104 agmina, litoribus concidit Eridani ;
 105 sic cecidit Romae muro dejectus ab alto
 106 dux nostro genitus sanguine, Martis honos.
 107 Nec fuit indignum his etiam Rhodomonta sub armis
 108 pro re Romana non dubitasse mori,
 109 signa pilis postquam mihi sunt fulgentia senis
 110 aurea supremo tradita pontifice :
 111 quae licet attulerint pulchrae solacia morti,
 112 mors sit ut haec factis altera vita meis,
 113 hoc tamen aeternum est casu vel acerbius omni,
 114 nondum aequasse animis facta superba meis.
 115 Viribus haud aliis poteram cecidisse, nec ulla
 116 agmina se audebant obvia ferre mihi.
 117 Devoveo quicumque igitur mala sulfura nitro
 118 miscuit et vacuo clausit in aere pilam :
 119 dignior inventa primus qui mugiat arte
 120 et penset proprio damna aliena malo.
 121 Militiae ut veteris morem corrumpit ! Ut ille
 122 et belli virtutem abstulit atque virum !
 123 Quam melius quondam gladio certabat acuto
 124 conspicuusque hasta comminus ibat eques !
 125 Ibat eques campoque hostem exspectabat aperto
 126 nec quicquam ille doli quod metuisset erat.
 127 Illum aspectabat virgo de turribus altis
 128 regia, suspirans hunc sibi habere virum.
 129 Mos erat hic bellare viris : mos ille probandus,
 130 dum sine fraude juvat conseruisse manus.
 131 At nunc tacta ruunt furtivo corpora plumbo :
 132 vix oculis ignem percipis, acta pila est ;
 133 non curat clipeum, non umbonem horrida grando ;
 134 effugiunt medicas vulnera taetra manus.
 135 His mea Mavorti vel cedere nescia virtus
 136 occultis hominum decidit insidiis,
 137 quam nec ferri acies potuit nec Noricus ensis
 138 laedere nec valida tela retorta manu.
 139 Quae superest igitur rapti genitoris imago -
 140 in te omnis quoniam spes, pater alme, sita est -
 141 alme pater, praesens terris qui numen haberis,
 142 si tanti emerui numinis officium,
 143 sic fidei commissa tuae, tibi credita surgat,
 144 dedita et usque tuis serviat imperiis.
 145 Te decet in patris sobolem transferre favorem :
 146 illa tibi referat meque meamque domum.
 147 Nec minor accedat nati quam cura pudoris,
 148 aptus uterque tuum tollere, Lysa, decus.
 149 Subjiciat sese maternae parvulus umbrae ;
 150 rideat ad matris oscula dulce puer ;
 151 hic tibi colludat curas, levet ille molestas,
 152 caelibe et hic tecum dormiat in thalamo,
 153 donec vernanti succrescens flore juventae

154 proroget antiquum stirpe novetque genus.
 155 Assuescat victor patriis animosus in armis
 156 praeferre exuvias et spolia ampla domum ;
 157 acer eques Parthos eat et pedes acer in hostes ;
 158 norit et aequae aestus ac tolerare nives ;
 159 quodque meis interceptum est florentibus orsis,
 160 virtute atque annis expleat ille suis.
 161 Tu ne haec vana putes insomnia, neu fallacem
 162 umbram nocturnis ludere imaginibus :
 163 ipse tibi advenio nemorum de sede beata,
 164 quae loca magnanimi semideique colunt.
 165 Me lacrimae huc egere tuae : jam comprime luctum ;
 166 mandata haec luctus, Lysa, levamen habe :
 167 sit tibi amasse satis, cineri sat justa dedisse,
 168 sat pro me superis vota tulisse deis.
 169 Jamque vale : cogor socios invisere manes
 170 et matutinis cedere sideribus ;
 171 exerit Oceano jam vultum Aurora rubentem,
 172 invisus jam me Lucifer afflat equis.
 173 At tu in amore meo sic perstes, Lysa, fidelis,
 174 ut te etiam stabili prosequor umbra fide.

ALCONIS FABRI LIGNARII TUMULUS

N_187 v.1 Dum lignis animam inspirat viventibus Alcon,
 2 invidia et proprio concidit ingenio ;
 3 namque deus, similem renuens sibi, dixit : "Abunde est
 4 et scitis hominem composuisse luto."

AD CALANDRAM

N_188 v.1 Remitto tibi carmen invenustum,
 2 Calandra optime, pessimi poetae,
 3 immo toxica ferrei Fiaerae
 4 insulsi, illepidi, et senis recocti.
 5 Quae dum scripta lego febriculosa,
 6 fato nescio quo malo et sinistro
 7 jamdudum stomacho miser laboro.
 8 O quae pharmaca nauseam coercent
 9 commotam mihi ? Quis recurat aegrum
 10 cui fastidia delicatiorum
 11 mensarum atque ciborum inest amaror ?
 12 Adeste, obsecro, quotquot estis, omnes
 13 adeste, o medici boni malique,
 14 meque aspergite amaraco et foveate ;
 15 ferte unguenta rosasque, ferte amomum,
 16 ferte et cinnama, ferte mentam olentem,
 17 si quicquam haec stomachum levare possunt ;
 18 vestris artibus hanc luem fugate,
 19 neu serpat facite altius venenum.
 20 At tu mi, obsecro per tuam salutem,
 21 istaec abjice toxica, o Calandra,
 22 Circes graminibus nocentiora,
 23 ne te neu inficiant meum Sabinum :
 24 vos ambo aut date Mincio propinquo,
 25 aut tantum scelus expiate flammis.

AD VENTOS NACENSES

N_189 v.1 Qui nemora et montes quoque haec saxa invia, venti,
 2 tunditis et celeri verritis antra fuga,
 3 si vestrum flammam quisquam atque incendia sensit
 4 queis divum atque hominum pectora torret Amor,
 5 me miserum perflata atque has exstinguite flammam :
 6 in me unum totas fundite, quaeso, animas.
 7 Aut saltem in dominam partem asportate caloris :
 8 forsitan erit nostris mitior inde malis.

IN SANGUINEM CHRISTI REDEMPTORIS. ODE

N_190 v.1 Sanguis, aeternae columen salutis,
 2 quo nihil majus videt orbis aut sol,
 3 quem Deus nobis monumenta magni
 4 fudit amoris ;
 5 qui notam insignem veterum parentum
 6 abluis, clausum reserans Olympum ;
 7 qui, triumphata nece, victor altum
 8 Ducis honorem,
 9 salve, et hinc bellum miserosque morbos
 10 amove, gentem dominumque Mantus
 11 sospita infundens requiemque pacemque.
 12 Et bona per te
 13 largius felix alimenta tellus
 14 praebeat, vittes Bromio redundant ;
 15 expleant immensae avidi coloni
 16 horrea messes.
 17 Da pias mentes animumque rectum ;
 18 vota da castis cumulata donis ;
 19 da, quod optamus, fugere exsecrati
 20 regna tyranni
 21 qui tuo dudum auspicio redemptas,
 22 dentibus frendens, pecudes inermes
 23 ambulat circum et furit ore hiulco
 24 more luporum.

IN EFFIGIEM PONTANI APUD COMITEM NICOLAUM MAPHEUM DIALOGUS

N_191 v.1 "Quaenam haec effigies ? - "Pontani". - Anne ipse revixit ?"
 2 "Cui dubium ? Vates pervolat ora virum,
 3 occasus qui tot stellarum scripsit et ortus,
 4 qui chartis doctus claruit innumeris."
 5 "Non famam, faciem quaero : quae picta tabella
 6 spirat et illius tam propria ora refert ?"
 7 "Tutiani fuit ista manus, quae reddere vitam
 8 defunctis vita corporibus solita est."
 9 "Patria Parthenope tegit hunc, hunc Mantua servat
 10 praeque suo mavult Mantua Vergilio."

IN EANDEM

N_192 v.1 Hospes, bis vivi effigiem post fata poetae
 2 pictoris doctas et venerare manus :
 3 namque suis hominum semper Pontanus in ore
 4 versibus inque oculis est ope Tutiani.

ALIUD

N_193 v.1 Ter felix, Pontane, potes, ter maxime dici :
 2 quod tua te faciunt carmina perpetuum,
 3 quod te Tutianus vivum post funera reddit
 4 quodque tibi egregium contigit hospitium.

SALUTAT PONTANI EFFIGIEM

N_194 v.1 Salve, magne senex, cui tam felicia caeli
 2 sidera riserunt, risit et Uranie ;
 3 cui sese natura parens in lumine claro
 4 quanta est, cui totum se patefecit Amor ;
 5 quem modo Tutianus spectandum posteritati
 6 praebuit ereptum temporum arbitrio,
 7 salve ! Nulla tuos corrodant saecula vultus
 8 nec noceat caries nec noceatve situs ;
 9 nec faciem turpet pulvis canosve capillos
 10 sed vultus nitida floreat in tabula ;
 11 teque hospes, quo non melior virtutis alumnus
 12 incolit Ocnaei regna beata ducis,
 13 Flore novo aeternisque ornet pro tempore sertis,
 14 texat et intactis lilia odora rosis
 15 vivacesque hederas immortalesque amarantos,
 16 munera honorato digna ferat capiti.
 17 Nos tibi pro meritis, pro perpetuis monumentis,
 18 dicemus molli carmina vincta pede.
 19 Ipsi aderunt Gonsaga, aderit de more Calandra
 20 Marnusque et gemini, docta caterva, Lupi
 21 Frambertusque, tui studiosus nominis, almi
 22 Cataldi ad templum florea sarta dabit ;
 23 utque Bianoris dant munera certa nepotes
 24 Vergilio, tibi sic annua vota ferent
 25 immixtique viris pueri teneraeque puellae
 26 casta incompositis verba canent numeris,
 27 Pontanum liquidique lacus vallesque sonabunt,
 28 Mincius et tremula tectus arundine.
 29 Eridanusque pater tantos celebrabit honores :
 30 sentiet has voces invida Parthenope.
 31 Interea tua, sancte, sequi vestigia fas sit,
 32 Musarum et faciles ferre per antra pedes.
 33 Sic placidos foveat manes pulcherrima Syren,
 34 sic tumulum semper citrus odora tegat.

AD IULIANUM RHETOREM

N_195 v.1 Facundissime, Juliane, rhetor,
 2 quot sunt quotque videbit altera aetas,
 3 aeternum tibi nomen invidere,
 4 quaeso, desine, compares sed ipse
 5 jucundi tibi comparem cubilis,
 6 ex qua pignora cara filiosque
 7 volens suscipias : et his revives
 8 felix perpetuo, tuumque nomen
 9 propagabitur orbe mille saeculis.

IN EFFIGIEM PONTANI APUD COMITEM NICOLAUM MAPHEUM MANTUANUM. MDXXXIIII

N_196 v.1 Magnum ut Pontanum natura effinxerat olim
 2 reddidit arte sua dextera Tucciani.
 3 Illum ut mirari et valeant spectare nepotes
 4 invito effecit tempore Tuccianus.
 5 Ingenii vates monumenta aeterna reliquit ;
 6 aeternae pictor reddidit artis opus.
 7 Magnus uterque sua est arte et sibi debet uterque :
 8 penniculo et calamo vivet uterque pari.

DE PONTANO ET TUCCIANO

N_197 v.1 Quem vates celebrat, virum per ora
 2 plus uno volitat perennis aevo :
 3 verum quem manus erudita pinxit,
 4 spirat ante oculos diu virorum.
 5 Felix ingenium et manus beata !
 6 Hoc clarum calamo, ista pennicillo.

LACRIMAE IN PARIDEM CAESAREUM

N_198 v.1 Dum reticenda Paris divorum arcana retexit,
 2 morti illum e terris tollere fata jubent.
 3 Mors cunctata diu, mors admirata pavebat,
 4 credula vix tantum posse licere nefas.
 5 Mox ait : "Ut nostra est elata potentia, postquam
 6 semideus nostro subjacet arbitrio !"

AD CAMILLAM CAL...

N_199 v.1 Laetus Amor dum forte tuis insidit ocellis,
 2 ut solet, et torquet spicula utraque manu,
 3 ipsa coma furtim aureola et ludente per ora
 4 innectis ridens ; talia fatur Amor :
 5 "Cauta Venus quondam Vulcani vincula sensit :
 6 nil mirum laqueos si puer ipse tuos."

AD AMICAM

N_200 v.1 Ille semel qui te, rerum o pulcherrima, vidit,
 2 ille suis totum optavit inesse oculis ;
 3 verba semel qui te sensit mellita loquentem,
 4 totum aures petiit se bibulas fieri.
 5 At qui saevitiemque et inexorabile pectus
 6 teque impacatum norit habere animum -
 7 pace tua dictum - se se oderit ille, voletque
 8 numquam habuisse aures, numquam habuisse oculos.

ODA AD CANDIDUM URBINATEM

N_201 v.1 Te puellarum chorus omnis ardet,
 2 Candide, et Nymphae tibi sarta texunt ;
 3 Lygda suspirat, tibi ridet uni,
 4 te colit unum.
 5 Ter quater felix : in amore lunas

6 ducis insomnes vigilesque soles,
 7 dum toro argutus recubas amato
 8 gaudia miscens.
 9 Invidet tristis tibi turba amantum ;
 10 ipse rivalis lacrimat Carinus :
 11 ille quem nosti bene mentulatum
 12 rumpitur hostis.
 13 Ergo tu votum Veneri benignae
 14 gratus exsolvas prope Caprianae
 15 fertiles colles, Cypria revinctus
 16 tempora myrto.

AD VIRGINEM LAURETI PRO SALUTE IULIAE UXORIS. ODE

N_202 v.1 Virgo Laureti, dea quae benigno
 2 ore mortales pia prospicis res,
 3 certa languentum medicina et orbis
 4 sidus amicum,
 5 non vides quanto coquat igne febris,
 6 quanta vis morbi populetur artus
 7 Juliae uxoris mala sub decembris
 8 tempora aquosi ?
 9 Illa te votis vocat ut salutem
 10 pristinam reddas : prece te puellae
 11 nocte quam longa et redeunte terris
 12 sole fatigant.
 13 Vera si fama est, liquidum per aequor
 14 olim - inauditum ! - volitasse templum,
 15 Nereo mirante stupentibusque
 16 Tethyos undis ;
 17 moxque firmatum, duce te, sacellum
 18 litore externo, calet ara multo
 19 igne ubi aeternum innumerisque pendent
 20 vota tabellis,
 21 Juliae aetatem miserere acerbam,
 22 neve divelli patiare caro a
 23 conjugis, aut illam viduari amatae
 24 lumine vitae.
 25 Namque me prole innumera beatum
 26 reddidit, me unum colit, unicum ardet
 27 perdit, et casti inviolata servat
 28 foedera lecti.
 29 Hac lares nostri sine fluctuant,
 30 navis amisso veluti magistro
 31 huc et huc ventis agitata fertur
 32 aequore praeceps.
 33 Subtrahe hanc fati manibus severi :
 34 per tui obtestor fera fata nati
 35 omne qui humanum scelus expiavit
 36 sanguine fuso.
 37 Casta te tangant sacra liberorum
 38 et preces mixtae lacrimis mariti :
 39 Ah domum et prolem numerosam in uno
 40 corpore serves !
 41 Tunc tibi Minci prope flexuosi
 42 fluminis ripam statuam sacellum,
 43 virgines discent ubi luce certa
 44 dicere laudes.

ODE DE REDITU CLESII CARDINALIS TRIDENTINI

N_203 v.1 Clesius externo nobis quod redditur orbe
 2 diis grates referamus, amici.
 3 Nunc decet innumeris cumulare altaria donis
 4 et Syrios adolere liquores :
 5 absint tristitiae et pungentes pectora curae,
 6 quicquid et est animo(que) molestum ;
 7 ingeminent choreas Nymphae sub nocte serena ;
 8 nos pateris certemus ovantes.
 9 Desipere est mihi dulce : severi ignoscite vates,
 10 si numeris sine lege vagabor.
 11 Liberiora decet nunc solvere vota Lyaeo
 12 ob reducem patriae patronum
 13 qui redit Arctoas reges comitatus in oras
 14 qua Rhenus secatur arva bicornis,
 15 cujus consilio dederunt bona numina terris
 16 nec majus graviusve quicquam.
 17 Ille redit qui tuta meis facit otia Musis :
 18 nunc Sarchae prope litus amoenum,
 19 dum nitidi fulgent soles, dum vere tepenti
 20 auricomum caput exerit arbor,
 21 aut Ferdinandi fractos virtute Gelonos
 22 quique bibunt tumidum Choaspem,
 23 aut partem Italiae referam post tristia bella
 24 Caesaris auspiciis quietem,
 25 arma etiam qui nunc Arabas meditatus in hostes,
 26 delectos ita fatur amicos :
 27 "Ibimus, o proceres : tellus sacra nos manet et nos
 28 turrigerae Babylonis arces.
 29 Illic immensos pro religione labores
 30 ferre mari terraque decorum est.
 31 Illic victrices aquilas et figere signa
 32 est animus, superis secundis."

AD PAULUM JOVIUM

N_204 v.1 Venisti, bone Paule, Paule amate
 2 quantum ullus potis est amari amicus,
 3 qui mecum Ticini otio beato
 4 soles condere candidos solebas
 5 argutis salibus facetiisque.
 6 Venisti : o sine fine me beatum ;
 7 o lucem nitidam ; o diem auspdatum,
 8 dum jucunda adeo allocutione,
 9 dum te perfruor ac tuis libellis
 10 excultis, lepidis et eruditis !
 11 Annales volvo laboriosos,
 12 illustres lego feminas virosque
 13 quos das perpetuo manere saeculo
 14 praeclara in monumenta posterorum.
 15 Quanta, Juppiter, arte, quo labore
 16 proelium lego Parthicum inchoatum !
 17 Nam Germania te modo et Viennae
 18 viderunt juga maximi parantem
 19 certum scribere Caesaris triumphum
 20 victoremque tuis sacrare chartis.
 21 Parthorum at tibi sit male, o tyranne,
 22 qui foeda subito fuga avolasti,
 23 non tam Caesaris invidus tropaeo

24 quam aeternae Jovii mei papyro.

ODE AD ILLUSTRISSIMAM VERONICAM CORRIGIAE DOMINAM

N_205 v.1 O diva, blandae quae citharae potes
 2 mulcere junctis carminibus feras,
 3 cui tantum inaccessos recessus
 4 Pieridum penetrare fas est,
 5 non te tacebunt invida saecula
 6 vivam nec atris nox tenebris premet
 7 post fata, at aeternum virenti
 8 fronde comam religata vives.
 9 Vives : sonora fama canet tuba
 10 dotes honesti pectoris et bona
 11 queis tam nites praeclara quam orbe
 12 sol nitidus sine nube opaca ;
 13 vulgabit ut tu caelibe secubes
 14 contenta lecto ; ut, Pallados artibus
 15 exculta sacris, nil profundum,
 16 nil nisi te meditere dignum ;
 17 mox ut, triumphum dicere Caesaris
 18 aggressa, Mellae ad flumina patrii
 19 et templa et immanes columnas
 20 Caesareis oneres trophaeis.
 21 Haec condat altis pyramidum jugis
 22 moles caducas ; haec Babylonios
 23 instauret incassum labores,
 24 mole sua ruitura tecta ;
 25 illa et securi certet Amazonum,
 26 dorso fugacis vecta super feri,
 27 aut cursu inhumanos fatiget
 28 Marmaridum in silvis leones ;
 29 at tu perennes fertilis ingeni
 30 vena fluenti fundis opes tui :
 31 tu, casta Musarum sacerdos,
 32 ex adytis numeros reportas.
 33 Quid jam moraris cingere duplici
 34 frontem corona, quando etiam tui es
 35 victrix, triumphatosque sensus
 36 Subjicis et sapiens coherces ?
 37 Erroris expers, fraudis et inscia,
 38 vulgum et protervas invidiae minas
 39 terrasque despectas jacentes,
 40 alta petens rapido volatu :
 41 regina qualis cum volat alitum
 42 vicina caelo nubila dividens
 43 nec curat insanam furentis
 44 vim Boreae nec Apeliotae.

AD MANTO UT DOCEAT HOSPITIUM CORNELII AGRIPPAE GERMANI

N_206 v.1 Manto, dic, rogo per deos deasque,
 2 qua Cornelius in domo hospitatur ?
 3 Quis patrem fovet eruditionum ?
 4 Nam, si non mihi falsa nuntiantur,
 5 apud te hunc fore Caesarem secutum
 6 accepi. Hunc ego gestio videre :
 7 proh quanta, deus, osculatione,
 8 quanto illum excipiam joco atque risu !

9 Corneli alloquio fruar beato ;
 10 Corneli lepidos legam libellos
 11 confectos per iter laboriosum
 12 dum viam vorat essedo volante.
 13 Nam semper meditatur ille quicquam
 14 dignum perpetuo manere saeclo.
 15 Quare dic, rogo, dic, benigna Manto,
 16 contubernia candidi poetae :
 17 quamprimum sciero, repente ad illum
 18 Parthica citior fuga advolabo.

AD ILLUSTRISIMUM FEDERICUM DUCEM PRIMUM MANTUAE. ODE

N_207 v.1 Neu te, Federice inclyte,
 2 ingrato taceant saecula silentio,
 3 parvis te referam modis
 4 quamquam magna tibi carmina postulas.
 5 Fors et grandia tempore
 6 venturo accipies : nunc sine me tuis
 7 haec praeludere laudibus.
 8 Nunc libare sat est : pauca ego seligam
 9 e multis, tenui pede
 10 percurrens. Ticini te pavidae nurus
 11 matresque attonitae undique,
 12 pressantes pueros ad teneros sinus ;
 13 te, suspiria nobiles
 14 dum ducunt tremulo pectore virgines,
 15 vix lanugine primula
 16 umbrantem roseas et teneras genas,
 17 videre intrepidum ducem
 18 tutantem Helvetio moenia ab impetu
 19 quassata horribili globo.
 20 Te non letiferi glandis aheneae
 21 nimbi concutiunt neque
 22 tempestas crepitans grandine plumbea.
 23 Omnes tu pedes anteis :
 24 ah, vitae nimium prodigus et necis
 25 contemptor, toleras famem ;
 26 noctes atque dies pervigil excubas,
 27 Mavortis genus et decus,
 28 sub dio et gelido lumine Cynthiae,
 29 certus quicquid erit pati
 30 ut lapsum Latii robur et Itali
 31 surgat gloria nominis
 32 praefersque ipse tuis commoda publica.
 33 Quin tu saepe gregarii
 34 indefessus obis munia militis,
 35 ut praesens animas viros
 36 acrem more tuo militiam pati.
 37 Paucis denique copiis
 38 matres et pueros et tibi creditas
 39 servas, dux bone, virgines
 40 Gallosque Helvetiosque innumeros fugas,
 41 sic virtute potens tua
 42 aedes praeda onerans barbarica deum.
 43 Olim, olim, hanc recolens fidem
 44 infractumque animum rebus in arduis,
 45 te junget socium sibi
 46 Caesar, sive petet Massagetas feros
 47 bello, seu Babylonias

48 dejectum ire volet fulmine Martio
 49 turre. Te duce nobilem
 50 Romano imperio restituet Rhodon
 51 Parthus : tu inferias dabis
 52 regi Pannonio sanguine barbaro.
 53 Jam jam classibus aequora
 54 compleri video ; jam strepitant tubae :
 55 armis Oceanus nitet ;
 56 victrices aquilas Italus explicat ;
 57 Hispana approperat manus
 58 Germanusque ferox, impavidus necis.
 59 Sed quo me furor hic agit ;
 60 quo me, quo temere raptat amor tui ?
 61 Audax comprime barbiton ;
 62 audis ? Te cithara Delius increpat
 63 parvis ut tenues modis ;
 64 Non est, Melpomene, fas tibi grandia
 65 [LACUNE]

IN EFFIGIEM EIUSDEM

N_208 v.1 Federici effigies Mantoi principis haec est,
 2 quem sibi tam similem picta tabella refert :
 3 haec, quando absentis mihi non datur ora tueri,
 4 praesentis faciem numinis instar habet.
 5 Hanc veneror, seu nox terras circumtegit umbra,
 6 seu roseo Phoebus provehit axe diem ;
 7 hanc veneror medium cum sol tener aureus orbem
 8 aut cava dilectae Tethyos antra petit.
 9 Vere rosas, fructus autumnno, aestate ligustra,
 10 huic hieme aeternum florida sarta fero.
 11 Aeternumque precor vivat felicibus annis
 12 alter ab Augusto qui mihi Caesar adest :
 13 qui mihi nil umquam gratum acceptumve negavit,
 14 qui me devinxit omnibus officiis,
 15 tum tranquilla meis dudum facit otia Musis
 16 et me candidulos donat habere dies
 17 aspectuque hilari levat omni e pectore curas :
 18 omnia acerba et amara, omnia mente fugat.
 19 Ut si jucundo orbatu quis lumine, tandem
 20 in lucem medica restituatur ope ;
 21 candida luminibus detergi nubila gaudet
 22 paulatim et solis sustinuisse jubar :
 23 sic mihi gratum animo vultum aspexisse serenum
 24 pro quo vel media sol mihi nocte micat.
 25 Nec quicquam magis optarim quam ostendere posse
 26 huic animi et fidei pignora certa meae,
 27 factaque magnanimi plus uno extendere saeclo,
 28 carmina si tantum vivere nostra queunt.
 29 Nunc ego - quod saltem possum - prope litora Sarcae
 30 e patrio templum marmore constituam
 31 et titulos qui Federici testentur honores
 32 inscribam auratas sedulus ante fores.

AD DEXTRAM, LACRIMAS ET CAPILLOS DIVAE MARIAE MAGDALENAE

N_209 v.1 O, vivacibus explicanda chartis,
 2 divae, dextera, Magdali patronae,
 3 quae sacrum Domini liquore nardi

4 unxisti caput integello amore
 5 atque incredibili fide excitata ;
 6 ebriis patris ignibus superni
 7 ubertim lacrimae profusae ocellis
 8 immo pectore ab intimoque corde,
 9 quae in morem tepidae et fluentis undae
 10 largo rore pedes Heri abluistis
 11 atque una facilis notam juventae ;
 12 o culti, o nitidi sine arte crines,
 13 instar linteoli, comae beatae,
 14 quae terstis sacra crura queis deorum
 15 Rex caelum premit Inferosque calcat !
 16 Tam pii officii Deoque grati
 17 aeternum monumenta erunt in aevum.
 18 Cui dextrae, lacrimis, quibus capillis
 19 aut tantum licet aut licebit umquam ?

AD GABLONETAM

N_210 v.1 Gabloneta, mearum ineptiarum
 2 ex usu assiduaque lectione
 3 si quicquam tibi dulce comparasti,
 4 aut si nil mihi, nil tibi molesti
 5 in sodalicio tuo meoque
 6 umquam contigit accidetque numquam,
 7 mitte, oro, his genialibus diebus,
 8 mitte, oro, lepidi et venusti Agnelli
 9 carmen quod gravibus jocis refertum
 10 dicunt et salibus Catullianis.
 11 Nam fama est - ut amas bonos poetas,
 12 ut doctas colis eruditus artes -
 13 olim illius et hinc et inde sparsum
 14 collegisse poema, ne periret,
 15 concivemque tuum pati nequisset
 16 situ aut tempore carpier maligno.
 17 Quare, dum vacuus domi quiesco,
 18 praestantque indutias malae podagrae,
 19 seposito studio severiore
 20 hos pro tempore perlegam libellos,
 21 et cultos lepidosque suaviabor.
 22 Tu vix credere, ego explicare possem
 23 quam me artes juvat ingenique fructus
 24 suspexisse Bianoris nepotum.

LACRIMAE IN PARIDEM CAESAREUM

N_211 v.1 Caesareum Paridem si quis me iudice norit,
 2 hic qui compositus parvo jacet ossa sepulchro,
 3 extinctum dicat quicquid sapientiae ubique est :
 4 secum omnes dicat virtutes esse sepultas ;
 5 secum omnes animi dotes, secum omnia dicat
 6 contumulata bona, et terris quodcumque beatum est.
 7 "O miseram Minci ripam atque Bianoris urbem !"
 8 ingement cantus moribundo gutture cycni.
 9 Quando alius postac naturae arcana latentis
 10 occasusque ortusque astrorum pandat, et altas
 11 scrutetur causas rerum eventusque futuros ?
 12 O miseram Minci ripam atque Bianoris urbem !
 13 Quis postac pluvias atque impendentia caelo

14 nubila prospiciat longe stellasque secundas,
 15 Pleiadas Hyadasque atque ensiferum Oriona ?
 16 Quis melius soles praesaga mente futuros
 17 agricolis aut spem dubii aut mala iudicet anni ?
 18 O miseram Minci ripam atque Bianoris urbem !
 19 Gramina quis melius pratis aut montibus altis
 20 aut quae muscosi surgunt prope litora fontis
 21 usu observatas longo dignoverit herbas,
 22 dictamnum helleborumque atque insuavem panaceam
 23 totque peregrino advectos ex aequore succos,
 24 ipse laborantes morbo queis saepe levabat ?
 25 O miseram Minci ripam atque Bianoris urbem !
 26 Quis postac nitidum argentum, quis decoquet aurum
 27 in liquidam lymphae speciem, aut elementa reformans
 28 nil intentatum ingeniove artive relinquat,
 29 Cantelmae unde etiam morienti proroget horam
 30 vitalem, inspirans invita morte vigorem ?
 31 O miseram Minci ripam atque Bianoris urbem !
 32 Qui non pastorum pulsarunt sidera luctus ?
 33 Pastores illum Eridani flevere propinqui,
 34 custodes ovium sacri pecorumque magistri.
 35 Illum etiam lacrimasse ferunt salices frondosas
 36 et late auditis nemora ingemuisse querelis ;
 37 maesta repercussis conquesta est vallibus Echo :
 38 "O miseram Minci ripam atque Bianoris urbem !"
 39 Vos igitur, si quae est pietas, reverentia si quae est
 40 amissi herois, super astra extollite cantu ;
 41 huc, huc accelerate, novos superaddite versus,
 42 Mantoi vates : sacris intexite chartis,
 43 ne Paridem tenebris nox ulla involvat opacis :
 44 tunc Minci ripa, tunc Mantua laeta futura est.

AD ALOYSIUM GONSAGAM EPISTOLA

N_212 v.1 Me Capriana tenet, me collibus ardua planis
 2 aequora : populea juvat hic captare sub umbra
 3 felices somnos ; juvat hic sentire canoros
 4 concentus volucrum et rabidum mulcere calorem,
 5 quercus ubi propter gelidi sacra procubat unda
 6 fontis. Ut ipse libens fugio mala murmura vulgi
 7 atque aulas regum trepidas et principum honores
 8 ambiguos ! Nullae hic pungunt mea pectora curae
 9 nec metus aut spes ulla animum in contraria versat.
 10 Felix terque quaterque, Aloysi, si haec bona noris
 11 fortunatorum nemorum rurisque beati ;
 12 felix si mecum studia intermissa revisas
 13 Musarum, insanis urbana negotia linqens !
 14 Ipsa licet formosa superbo Mantua luxu
 15 defluat, assurgant licet alta palatia caelo,
 16 non tamen huic dubitem parvi praeponere ruris
 17 commoda divitiasque humiles et agrestia tecta,
 18 dum procul invidia, procul ambitione scelesta,
 19 sanguineas mori baccas maturaque fraga
 20 seligimus, mixti Faunis, dum colle propinquo
 21 aut deturbamus leporem fortive molosso
 22 nocturnos fures arcemus ovilibus altis.
 23 Nec tamen interea studiis cessamus amoenis
 24 et nos - quicquid id est - audemus texere carmen
 25 victurum forsitan, mihi si promittere tantum
 26 numina dextra sinunt nec vana inspirat Apollo.

IN PAULUM MAGNOLUM. IAMBUS

N_213 v.1 Inepte et exsecrate Paule Magnule,
 2 quis tam benignus atque mitis ingeni est
 3 ut possit insolentiam tuam pati
 4 et verba tincta felle, mista toxico ?
 5 Inepte Paule, monstruose homuncio,
 6 amabo, Brixiana bellua insolens -
 7 locutione ut eloquar sodalium -
 8 quae te tulere silvae nunc reconditae,
 9 quae te tulere montium cacumina,
 10 nivosa et alta montium cacumina ?
 11 Nam te patres tulisse nec bonos putem,
 12 cum sis superbus, arrogans et helluo.
 13 Quae nutriere te ferae : an vorax lupa,
 14 informis ursa fovit horrido sinu ?
 15 Proh dii, quod invenustum, inelegans caput :
 16 quae membra belluosa, magne Juppiter !
 17 Quae labra, mulae quae voraginem ferunt
 18 meientis, unde pestilens flat halitus !
 19 Qui vultus iste, gentium omnium stupor ?
 20 Quis haec videndo nauseam coherceat ?
 21 Saecla infaceta, quid fovetis hanc luem ?
 22 O dissolute mascula libidine,
 23 culo sodalis immori expetis tui :
 24 id te negant negare litterae editae,
 25 papyrus exarata propria manu
 26 testatur istud, irrumator inclyte !
 27 Eon' Latina, Graeca sic doces modo :
 28 ea est, magister efficax, scientia ?
 29 Taces, nec ullus inficit genas pudor,
 30 rubor nec ulla conscientia arguit ?
 31 Ten' ille magnus erudivit Hercules,
 32 spes certa Phoebi, et ille flos Bianoris ?
 33 Ten' erudivit optimus Calepius ?
 34 Has imbuerere litteras Britannici ?
 35 Vides, miselle, quo regurgites freto,
 36 quod te superstet imminens periculum,
 37 quae te manet ruina, qualis exitus :
 38 ut expiabis haec nefanda crimina,
 39 ut hanc scelestus igne dilues notam !
 40 Abi hinc, proterve, neu meam inquines domum ;
 41 aufer cacata scripta pestilentia,
 42 libros, male ominata, tolle pessumos ;
 43 venena tolle lecta, tolle scrinia
 44 jacere digna sub palude concava.
 45 Pete, impudice, ad ultimi maris sinum :
 46 vola, profane, ad Occidentis insulas !
 47 Abi, exsecrate, monstruose homuncio !

AD CAESAREM LYRICON

N_214 v.1 Invicte Caesar, quo ferus auspice
 2 tandem arva Mavors Itala deserit
 3 vastata terdenos per agros
 4 cum miserae Italiae ruina,
 5 olim triumphos nec Jove dispares
 6 fractosque reges justaque proelia

7 devicta contexam perenni
 8 carmine, nec renuente Phoebo
 9 dicam aucta regnis tot patrimonia.
 10 Mox, grandiori aggressus opus tuba,
 11 dicam pharetratum tyrannum
 12 usque ad Hyperboreos fugatum,
 13 si Noricorum servitio gravi -
 14 namque omnis in te spes sita - vindicas,
 15 si nos retractantes benignus
 16 respicis imperioque firmas.
 17 Gens illa nostris invidet otiiis :
 18 nos indecorum mittere sub jugum -
 19 ni, Caesar, avertas ruinam -
 20 dissimulato odio laborant.
 21 Tentant iniquis conditionibus
 22 decreta majorum et tua deleas :
 23 proh saecla inauditaeque leges
 24 atque hominum truculenta facta !
 25 Tu membra solvi nobilis Imperi,
 26 tu ne hanc nepotum perniciem feres :
 27 ah, saeva contundas furentum
 28 consilia et temerariam vim !
 29 Te liberorum tot moveant preces,
 30 te vota tangant et querimoniae.
 31 Per sceptrum, per sacrum precamur
 32 Caesarei genium decoris.

AD MARCUM ANTONIUM FLAMMINIUM

N_215 v.1 Audio te dudum Veronae vivere teque
 2 addictum fore servitiis antistitis almi
 3 Giberti, quo nil dederunt bona numina terris
 4 sanctius aut gravius, dum, publica religionis
 5 munera pertractans, reficit labentia templa
 6 et mores renovat decretaque prisca parentum,
 7 jamdudum antiquata, sacrosque instaurat honores.
 8 Gratulor ergo tuis partim succedere votis
 9 omnia : quod liceat tranquillam vivere vitam
 10 optatumque diu studiorum carpere fructum
 11 Musarum in gremio et Verona altrice virorum,
 12 quam placido labens Athesis praeterfluit alveo ;
 13 parte alia absentem doleo, quod non licet uti
 14 colloquio assueto, teneat vicina licet me
 15 Mantua - populifer miserum me Mincius audit
 16 saepe tua argutis clamantem nomina ripis,
 17 saepe repercussis iterantem vocibus Echo :
 18 Eccho iterat vallesque cavae silvaeque loquuntur
 19 "Flaminium" - te Felsinea quod saepe solebam
 20 urbe frui, cum fulgebant felicia caeli
 21 sidera, cum laeto radiabant lumine soles :
 22 mecum partiri curas, mecum ipse solebas
 23 propter aquam parvi componere carmina Rheni
 24 et mecum gelidis captare in vallibus auram,
 25 sidere cum rapido coqueret sol fervidus agros.
 26 Ipse, sodalities nunc immemor, aut vaga mente
 27 sidera percurris vel - ut audio - sacra parentum
 28 evolvis monumenta et Graium scripta virorum
 29 fastorumque audis reserantem arcana deorum
 30 antiquasque artes atque omnigenam naturam,
 31 parte tui ut meliore voles super atria caeli

32 inter honoratos coetus manesque beatos
 33 felicis Turri atque inter loca clara piorum.
 34 Nonnumquam te Vida tenet, tua maxima cura,
 35 carmine qui intacto doctas permulceat aures,
 36 Virginis insuetos partus et dum canit ortus
 37 legiferi herois mirandaque facta recenset.
 38 Tu tamen, ah, veteres ne dedignere sodales :
 39 exspectate, veni, et socios solare querentes !
 40 Nonne audis veluti gemitu suspiret amaro
 41 Laelius et Strozza absente intabescat amico,
 42 dum lacrimas nostris juvat immiscere querelis ?

LACRIMAE IN CATELLAM

N_216 v.1 Sabellina catellula,
 2 qua non promptior altera
 3 mellitum imprimere osculum :
 4 qua non altera doctior
 5 manus lingula eburneas
 6 herae lambere amabilis
 7 aut pedem tremulum dare
 8 modo hunc, hunc modo et illum,
 9 alternas iterans vices
 10 sponte sive petita :
 11 ad vocem dominae procax,
 12 incitare sueta
 13 ludum, ludere pertinax :
 14 ad blandum digiti sonum,
 15 ad nutum quoque prompta
 16 lapsum linteolum dare
 17 blandis morsibus adpetens :
 18 vale, amata catellula,
 19 herae deliciae meae !
 20 Te morsus rabidae canis
 21 oppressit : canis efferata
 22 momordit tenerum pedem.
 23 Illo vulnere saucia,
 24 nulli blanditias facis
 25 et lympham refugis tremens
 26 nec somnum capis aut cibum.
 27 Tantum humi aegra recumbis
 28 aut fota in gremio aut toro
 29 herae molliculo jaces,
 30 triste nescio quid gemens,
 31 oblita innumeros jocos :
 32 tandem perpetuo - scelus ! -
 33 Claudis lumina somno.
 34 O fatum lacrimabile !
 35 O factum male et impie !
 36 Ergo quae modo ludicrum
 37 praestabas dominae, jaces
 38 parva condita in urna.
 39 Hoc solaciolum tamen
 40 sit, misella, tibi necis :
 41 quod nusquam occubuit canis
 42 quam tam bella puellula
 43 cum desiderio arserit,
 44 pro qua splendidi ocelluli
 45 turgidas modo roscidis
 46 rigarunt lacrimis genas.

AD LYDIAM EX SANNAZARIO

N_217 v.1 Lydia, me quoniam crudeli is perditum amore,
 2 tecum Tartareos cogar adire lacus.
 3 Nec proprii me illic affliget cura doloris,
 4 sed te tam infaustum conquerar isse locum.
 5 Hic dum pascam oculos, in te dum fixa tenebo
 6 lumina, nulla mihi est poena futura gravis ;
 7 unum hoc supplicium est aeterna in nocte timendum :
 8 quum invitos cogar claudere, vita, oculos.

N_218 v.1 Baiarum dum forte capit sub mollibus umbris
 2 fessus Amor somnum, murmure captus aquae,
 3 ipsa facem accurrens gelida celavit in unda,
 4 ut veteres flammam vindicet, alma Venus.
 5 Quamprimum liquor ille aeternos concipit ignes :
 6 igne novo - quisnam crederet ? - Arsit aqua.
 7 Accensis igitur fumant haec balnea lymphis
 8 quod facula una omnes vincit Amoris aquas.

IN BOREAM PEDAGOGUM MANTUANUM

N_219 v.1 Si quisquam superum tandem miseratus ab alto
 2 Mantoa Boream pellat ab urbe procul,
 3 cernit odoratam lauri succrescere silvam
 4 Mincius et myrthos fronde virere nova,
 5 quas olim rabidi metuentes frigora venti
 6 aut fugisse procul vel latuisse reor.
 7 Cernere erit violasque rosasque et amoena vireta,
 8 prataque vestiri gramine quaeque suo.
 9 Cernere erit sine nube dies fulgere serenos
 10 vicinisque albas montibus ire nives.
 11 At contra si Mantois perflabit in oris,
 12 afferet arboribus perniciem atque satis.
 13 Quid gravius ? Latiae tenebras et nubila linguae
 14 obducat flatu pestifer horribili.

IN PINCIUM BONONIENSEM

N_220 v.1 Pincius ipse facit puerilia carmina. Quidni ?
 2 Ingenium bimuli vix pueri instar habet.

AD IACOBUM CALANDRAM. ODE

N_221 v.1 Quid ferox Parthus meditetur, aut quid,
 2 Caesar ; aut rex concipiat Britannus
 3 anxia desiste precor, Calandra,
 4 volveere mente.
 5 Si lubet, paulum posita altiorum
 6 mole curarum, Cererem canamus,
 7 arva dum lustrant pueri canentes
 8 ter bona dicta.
 9 Huc ades, nostri decus orbis et spes
 10 certa Musarum sobolesque Mantus

11 clara, nec trivisse labrum pudor sit
 12 fistula agresti.
 13 Hic Canis vitare licet calorem,
 14 hic sub umbrosis licet aesculetis
 15 tute dormire ad fluvii labella
 16 rauca sonantis.

AD IOANNEM FRUTICENUM

N_222 v.1 Hoc tibi carmen, Fruticene, habeto,
 2 quod cupit Velsi celebrare laudes,
 3 attamen frustra : graviore dignus
 4 namque cothurno est.
 5 Tu lege, utcumque est, et ut olim amasti
 6 sole jucundo potientem et aura,
 7 nunc piis Velsi placidam quietem
 8 manibus opta.
 9 Ipse ego illius, memor atque gratus,
 10 pectori infixum retinebo nomen :
 11 summa me donec tenuem in favillam
 12 verterit aetas.

N_223 v.1 Si te communis tangit jactura dolorque
 2 Caesaris et miserae Mantuae et Italiae,
 3 Federici tumulum sicco ne lumine transi :
 4 Caesaris hic sita spes, Mantuae et Italiae.

AD LAURAM EX FRANCISCO PETRARCHA

N_224 v.1 Non Ticinus, Tiberis, Padus, Amus, Nilus et Hermus,
 2 Euphrates, Tigris, Sequana, Danubius :
 3 non Athesis, Rhodanus, Tanais, Maeander et Hebrus,
 4 Alpheus, gelidis nec Medoacus aquis :
 5 non abies, possetve meum lenire calorem
 6 quicquid silvarum, quicquid et est nemorum.
 7 Ardenti una meo superest medicina furori :
 8 laurus amor Phoebi, laurus honos Dryadum.
 9 Quam fovet ardorem trunco, tam mollibus umbris
 10 mulcet et ardorem quem facit ipsa levat.
 11 Sic laurum vitreis riget undis perpetuus fons
 12 meque tegat densis laurus opaca comis.
 13 Sic semper laurus duplici potiatur honore,
 14 et regum et vatum ; tollat in astra caput :
 15 illius ut nostros inscribam cortice amores
 16 et crescat laurus maxima, crescat amor.

AD MADRUTIUM

N_225 v.1 Hesterno male me mero obruisti,
 2 Madruti, pater omnium leporum :
 3 bissenos calices bibens relevi ;
 4 sulcavi insolita ebrius carina
 5 Euxinum Ioniumque Caspiumque.
 6 Hinc dens me assiduo premit dolore,
 7 torquet me mala tussis et gravedo

8 nec sat officium suum facit mens.
 9 Decrevi tamen advolare Thennum,
 10 ut stem pollicitis fidemque servem.
 11 Quid sodalicio hoc magis beatum est ?
 12 Men' relinquere tam bonos sodales ?
 13 Hos si inter moriar, lubens peribo :
 14 hoc sodalicium nefas cavere est.

AD LYMPHAS SARCHIADAS

N_226 v.1 Lymphae Sarchiades, nimis rapaces,
 2 furaces nimis invidaeque lymphae,
 3 heu quot carmina bella, quot lepores,
 4 gemmis carmina cariora et auro,
 5 numquam lecta satis, relecta saepe,
 6 incauto et misero mihi abstulistis :
 7 quae mi Matrutius meus, revisens
 8 antiquam Paduam et bonos sodales,
 9 servanda attulit et sinu fovenda !
 10 Dum verso et teneo manu, recurrens
 11 doctorum monumenta per virorum,
 12 nil usquam mihi tale cogitanti,
 13 fato nescio quo malo et sinistro
 14 immerentia ponte decidere.
 15 O pons, o fluvii male ominati,
 16 undae ipso Eridano rapaciores !
 17 Num vos Lazari epistolam eruditi,
 18 num sacros rapidis pudet sub undis
 19 docti volvere Velii labores
 20 et lusus lepidi Logi venustos ?

DIVO FERDINANDO IN OBSIDIONE VIENNAE. ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS

N_227 v.1 Tandem, fugato principe barbaro,
 2 duces triumphum, maxime principum,
 3 divisque persolves benignis
 4 tute pio meritos honores.
 5 Templis reportans exuvias novis
 6 maestos replebis laetitia patres,
 7 queis corda percussit ferus Mars
 8 sanguineum quatiens flagellum,
 9 quum Parthus atrox Pannonios sinus
 10 vastaret armis et ferus Austriam
 11 hinc inde discurrens, Vienna ut
 12 cingeret obsidione muros.
 13 Proh quanta matrum corpora, quot viros
 14 demisit Orco, quot pueros sinu
 15 matrisque divulsos lacertis
 16 ense truci secat immerentes !
 17 Nullis pepercit - proh scelus ! O pudor ! -
 18 Templis, nec aris abstinuit manus :
 19 illum cruentatum videres
 20 conscelerare deum ministros.
 21 Sparsit piorum reliquias patrum,
 22 manes verendos, atque reconditas
 23 ignique consumptas edaci
 24 congeries tenuis favillae.
 25 Incendit agros et crepitantibus
 26 flammis adurit spes veterum domos :

27 bacchatur insanus furitque
 28 depopulatus opes Quiritum.
 29 Fertur luporum more rapacium
 30 quos egit altis dira fames jugis,
 31 quum non repugnantes capellas
 32 dente petunt avido protervi.
 33 Jam jam timore invaserat omnia ;
 34 jam spes salutis, jam deerat fuga ;
 35 jam cuncta sentires furentum
 36 quadrupedum resonare cornu.
 37 At non inultus talia prospicis,
 38 deliberatus quippe mori prius
 39 quam triste spectaclum videre
 40 et patriae mala luctuosae :
 41 fretusque Clesi consilio patris -
 42 quod restat unum rebus in asperis -
 43 nullos recusasti labores
 44 Imperii ut proceres coirent.
 45 Invicta bello deligis agmina,
 46 heres aviti roboris et memor,
 47 nec te retardarunt pericla, haud
 48 degenerem patrio vigori.
 49 Quae non secuta est te regio ducem ;
 50 quis non amicas consociat manus,
 51 ut victor aeternos honores
 52 Pannonio accumules triumpho ?
 53 Adsunt Suevi, cedere nescii,
 54 quosque aestuosis Rhenus aquis rigat :
 55 jungitque victrices phalanges
 56 terra ferax hominumque equorum,
 57 assueta bello, fida Moravia,
 58 parere prompta, utcumque eques impiger
 59 tendas pharetratos in hostes,
 60 sive pedes metuendus hasta.
 61 Hoc tu Viennam milite liberas
 62 forti, paventem supplicium grave.
 63 Non ipse frustratam relinquis,
 64 spe refovens potiore amatam.
 65 Quid dicam ut hostes finibus Austriae
 66 solo repellas nomine ? Qui tuam
 67 sensere virtutem, et repente
 68 terga Scythae profugi dedere.
 69 Undavit atro Danubius prius
 70 tot barbarorum sanguine decolor
 71 ensesque inauratosque currus
 72 purpureis agitavit undis :
 73 miratur aequor scuta natantia
 74 pictasque vestes et clypeos leves ;
 75 Thetis reformidat, cruore
 76 dum freta Danubius colorat.
 77 Non auspicati Pannonias Getae
 78 sedes relinquunt : jam trepidos piget
 79 tentasse Germanum vigorem, et
 80 illacrimasse ferunt tyrannum.
 81 Rex, cura divum es. Dii bona dant bonis :
 82 ut tu ipse divos et colis et times,
 83 haec regna victorem manebant,
 84 tot titulis tibi destinatis.
 85 Posthac superbus discet Arabs tibi
 86 insueta supplex tendere brachia
 87 et te perhorrescet nivosum

88 qui Tanaim bibit atque Tigrim.
 89 At nos, salutis barbarico metu,
 90 propter sonantes Sarchiadas aquas,
 91 victoris augustos honores -
 92 fas modo sit - lyricis canemus.

AD PYRRHUM

N_228 v.1 Pyrrhe, novus vates nostris surrexit in oris,
 2 qui dudum miles sub tua signa fuit,
 3 assiduoque puer dulces meditatur amores,
 4 Callimachi ut sacrum crediderim isse nemus :
 5 pignora seu collo recitat dirrepta puellae,
 6 livida cum impresso dente relictata nota est,
 7 seu canit illecebras nocturnaque proelia amantum
 8 sive cupidinei dulcia furta joci,
 9 sponte fluunt faciles versus et lene jocatur.
 10 Illi, Pierides, cingite fronde comam,
 11 et vos, Sarchiades, crescenti applaudite vati :
 12 texite et e patriis mollia sarta rosas.
 13 Hic canit arguti propter buxeta Brioni
 14 Leucothoes maestis tristia fata notis,
 15 quam pater exarsit vitreis Benacus ab undis
 16 dum repetit patriae litora nota suae.
 17 Saepe illum Trimilo scopulo persensit ab alto
 18 ingentem ex animo tollere ad astra sonum ;
 19 saepe illum nautae pura sub nocte canentem
 20 sensere et variis ludere carminibus ;
 21 ut vidit nantis tremulas fulgere papillas,
 22 pendere et summis pectora eburnea aquis,
 23 Pubetenus mergens liquido aequore suspiravit
 24 fixit et in solam lumina Leucothoen.
 25 Dumque legunt sociae pictas in litore conchas
 26 et perluciduli dona ferunt lapidis,
 27 colludens saxo salientes percutit undas
 28 et longe a tuto litore progreditur.
 29 Quo properas, malesana ? Immitte effuge lymphas !
 30 Ah, nimium ignoto credere, stulta, mari !
 31 Si nescis, dudum formosis unda sepulchrum est :
 32 unda etiam miseram perdidit Arsinoem.

DE FURIO

N_229 v.1 Furius est tenuis. Quidni, qui tot mala totque
 2 patravit scelera atque impia flagitia ?
 3 Et sapiens sero est : nunc cogitat ipsum
 4 ultorem esse deum tot scelerum, et Furias.

AD TURCUM

N_230 v.1 Si sapiens esses, morereris, Turce, libenter :
 2 vita homini infami est mors alia atque alia.

IN QUINTIANUM

N_231 v.1 "Arma, virum turmas vexilligerasque catervas"
 2 ponit, si quid avet ponere, Quintianus ;

3 et "Ferrugineum - corvino gutture - ferrum"
 4 ad Mellae ructat litora Quintianus.
 5 "Exoritur clamorque virum stridorque rudentum" :
 6 illius hoc semper carmen in ore sonat.
 7 Damnat avum patremque, illi qui nomen ineptum
 8 imposuit ; dici vult mage : "Quirtiarus".
 9 Sive docet pueros, frendit dente, ore labrisque :
 10 "Sidera dira ruant ; cornibus antra rigent" ;
 11 sive orat, cum defunctum vespillo sepulchro
 12 condit, et exstructo stat Libitina rogo,
 13 obstrepat et stridulus. Dicam, Jovis auspice : "Semper
 14 errat Quirtiarus, Pieridum obprobrium".

AD TABARELLUM

N_232 v.1 Scias, mi Tabarelle, me esse navim
 2 deprensam in medio mari aestuoso
 3 quam circumtonat Africus procellis,
 4 quam saevi Boreae et furentis Austri
 5 flatus percutiunt et hinc et illinc.
 6 Quod ni maximus ille Ferdinandus
 7 illam sustineat diu labantem
 8 ut portu stabilita conquiescat,
 9 illidet scopulo (solo) et fatiscet.

AD ALEXANDRUM THIENUM

N_233 v.1 Quod tua distuleris promissa hucusque, Thiene,
 2 es mihi suspectus nomine perfidiae.
 3 Certa loquar : certe cecidisti pectore nostro ;
 4 namque ego non vitium hoc credideram esse tibi
 5 ut vitam tali sinceram labe notares :
 6 id non est animi, quod facis, ingenui.
 7 Quare quod scribis, venturum te mihi paucis
 8 luciferis, rapidus ventus et unda tulit ?
 9 Seu Ferraria te retinet, quam maxime amare
 10 dicis prae cunctis urbibus Italiae,
 11 seu Verona magis - nam te exardere puellam
 12 nescio quam rumor non bonus obloquitur -
 13 debueras saltem cari meminisse sodalis
 14 turpiaque a te ipso crimina rejicere :
 15 aut mihi te purgare, aut fictas nectere causas,
 16 aut mihi te cupido restituisset magis,
 17 quamvis te precibus multis revocaret euntem
 18 haec atque illa puella, atque alia atque alia,
 19 dulciaque exserta geminaret basia lingua
 20 injiciens collo brachia lenta tuo.
 21 Numquam igitur posthac credam tibi : dicam ego cunctis
 22 saeculaque hoc noscent postera flagitium.
 23 Nam spernit superos et fanda nefandaque miscet
 24 audet pollicitam qui violare fidem.

IN PATELANUM PINTIOMASTIGEM. ODE

N_234 v.1 Quid virum vexas, Patelane, amicum
 2 Pintium, oblatrans veluti canis qui
 3 inferus sontes animas trifauci
 4 territat ore ?

5 Quem Tridentinae stupuere gentes
 6 olim et orantem et pueros docentem,
 7 quem modo Ocnaei celebrant nepotes,
 8 stulte, laccessis ?
 9 Laurea quem ornavit Apollinari
 10 Caesar invictus, meritisque frondem
 11 fronte quaesitam posuit deditque
 12 esse poetam,
 13 naviger quem tot titulis beavit
 14 ille, Musarum decus Italarum,
 15 quem flet erreptum Venetus diuque
 16 flebit ademptum ?
 17 At nihil morsus rabidosve rictus
 18 Pintius curat pedagogi : obaudit
 19 ille latratus miserorum ineptasque
 20 unius assis
 21 aestimat nugas. Caput infacetum,
 22 saevit incassum, velut unda vasti
 23 frangitur circa scopulum profundi
 24 proficiens nil :
 25 illa non saxum labefactat haerens,
 26 excitet spumam licet atque firma
 27 illius radice tonet, minaci
 28 flamine pulsa.

QUERELLA VIRGINIS DEIPARAE JUVENIS COMPOSUIT

N_235 v.1 Talia clamabat, pectus percussa pudicum,
 2 Virgo hominem et mixtum quae tulit alma deum :
 3 "Heu pietas, si qua est pietas ! Mecum omnia plorent
 4 indignis Domini tristia suppliciis.
 5 Quo raperis ; quo, nate, meae spes unica vitae ?
 6 Cur te devinctum saeva columna tenet ?
 7 Mollia cur duris creduntur terga flagellis,
 8 unde sacro Solymam sanguine tingis humum ?
 9 Circumstat te turba ferox, impastus ut agnum
 10 insontem rabido circuit ore lupus,
 11 oraque percutiunt manibus caelestia diris :
 12 exspuit in faciem gens truculenta piam.
 13 Heu heu, languentem video pallescere vultum,
 14 pungere et immeritum spinea sarta caput !
 15 Nate, sitis : tibi fel tristi miscetur aceto
 16 et te ludificant, unica nostra salus.
 17 Pectore purpureos video praerumpere rivos ;
 18 tandem alta affixum te cruce, nate, mori.
 19 At matris gladius pertransit corda, profundus
 20 tam sit ut iste dolor quam mihi summus amor."

DE ADVENTU CAESARIS CAROLI QUINTI IN ITALIAM

N_236 v.1 Caesaris adventu tellus subridet et aer ;
 2 Juppiter ipse dies candenti sole serenat ;
 3 vestiri ante diem miratur frondibus arbos.
 4 Haec illi ostendunt vernanti in flore juventae
 5 aeris imperium et terrae contingere habenas
 6 atque immaturae insolitos aetatis honores,
 7 Olli parturiant qui aeterna laude triumphos.
 8 Ergo Parthorum exuvias et parta tropaea
 9 cernere erit referentem illum, et victricia signa

10 ponentem Solymis felici sidere terris ;
 11 insignemque Rhodon Romanis arcibus addet
 12 imperiumque ultra Tigrim Tanaimque locabit.
 13 Sic erit ; hoc certo praedixit carmine Phoebus,
 14 conscia et ipsa suo arisit Venus alma nepoti.

AD PRETUM

N_237 v.1 Dulci, Prete, periculo,
 2 dum deformis hiems riget,
 3 ludis : namque, choro junctus amabili
 4 nympharum, facili saevitia volens
 5 vinci, vel niveas manus
 6 tractas aut pede comprimis
 7 illarum teretes pedes
 8 et collo spoliū detrahis aureum.
 9 Illis virgineus pudor
 10 tingit purpureas genas.
 11 Felix terque quaterque, dum
 12 has noctes tibi candidas
 13 curru noctivago Delia provehit.

AD ALEXANDRUM THIENUM

N_238 v.1 Te retinet curis vacuum Caprina, Thiene,
 2 vallis et aestivo tempore amoena loca.
 3 Illic exerces doctorum more Camenas :
 4 illic te studiis incubuisse juvat ;
 5 infidi nec te pungunt fera spicula Amoris,
 6 nec dulces somnos aera canora fugant.
 7 At me patria sollicitum tenet ; uror amore :
 8 ingenue fateor dicere quod miserum est.
 9 Hic crudelis Amor me transdere in otia quaerit
 10 et me Musarum sevocat a studiis.
 11 Olim ego liber Amore et cura exutus ab omni
 12 omnem animum ad Musarum otia contuleram :
 13 nunc ego despicio Musas - ignosce fatenti -
 14 despicio socios, quod magis est miserum.
 15 Illo me vacuum conspexit tempore Amor, cum
 16 exilii fleres tempora longa tui :
 17 cum miserum a cara flesti discedere amica
 18 et me es solatus dulcibus alloquiis.
 19 Tunc ego quas lacrimas, quae non suspiria fudi !
 20 Ut fuit illa mei prima ruina mali !
 21 Ure alios, quaeso, puer impiger : aut quibus ardens
 22 est animus Martis castra cruenta sequi,
 23 aut quibus est curae dites agitare rapinas
 24 atque aurum terrae quaerere visceribus.
 25 Tu sine me famam venturis tradere saeculis
 26 et grave demissa tollere corpus humo,
 27 ut me Sarchiades celebrent post fata Napaeae,
 28 et fiam patrii laus ego prima soli.
 29 Felix Flaminius, quem nulla puella nec ignis
 30 est potis a sancto seposuisse choro :
 31 hic canit avectam Europam, admirantibus undis,
 32 tergore taurino molliter impositam,
 33 utque illam magnus fallaci Juppiter arte
 34 luserit et pariter transierint maria :
 35 cum venti circum fluctus maris alludebant,

36 surgente ad niveos veste fluente pedes.
 37 Quod mihi si liceat paulum has exstinguere flammam
 38 et lenire meo vulnera fixa animo,
 39 ipse ego Parthenopem visam studiosus amoenam
 40 claraque Syncero litora culta seni.
 41 Illic est animus vos exercere, Camenae,
 42 doctus ubi cecinit pascua Vergilius.
 43 Hic ego te, Syncere, sequar ; Syncere, tuo mi
 44 e sacro fas sit fonte levare sitim.
 45 Tu canis Arcadici pastor pineta Lycei ;
 46 Sebethi propter flumina pascis oves ;
 47 scribis et obscura cantantem nocte Lyconem ;
 48 dilectae defles Phyllidis interitum ;
 49 Protea divino mulcentem carmine phocas,
 50 vertis et in salices pectora Naiadum.
 51 Virginis ut celebras partum graviore cothurno,
 52 cedit, Mantoi carmina Vergilii !
 53 Felices silvae quae te sensere canentem,
 54 quae audivere tuos aequora pulsa sonos !
 55 Seu te Pausilypus, seu candida Mergiline,
 56 seu retinent carae litora Parthenopes,
 57 ipse sequar : modo tu non dedignere sequentem,
 58 nec timeam iratum te duce adire fretum.
 59 Hoc si contingat, dominae spernentur amores
 60 et regum summae despicientur opes.

ELEGIA IN MARCUM ANTONIUM TURRIUM VERONENSEM

N_239 v.1 Ecce iterum vocat ad luctum me Turrius, et jam
 2 dudum intermissas postulat inferias,
 3 carmina et antiqui officium testantia amoris :
 4 quisnam illi ingratus munera digna neget ?
 5 Me juvat idcirco chartis mandare dolorem
 6 quem pia non sicco lumine Laura legat :
 7 Laura decus Nympharum, olim dilecta poetae,
 8 in cuius clarum nomine fecit opus.
 9 Illa quidem, Turri, postquam te fata tulerunt,
 10 quantos languenti corde dedit gemitus :
 11 cum tantum fleret quantum, viduata marito,
 12 virgo, lares tristis cum redit ad patrios,
 13 frigida deserto dormire coacta cubili
 14 et sola in vacuo pervigilare toro !
 15 Ah, quoties leto optavit finire dolorem
 16 atque inter cineres compositam esse tuos !
 17 Ah, quae maesta tui discessu verba locuta est,
 18 cum stillanti oculis rore maderet humus !
 19 Jam prece Persephones et conjugis implorata
 20 sensibus erreptis excidit ante rogos
 21 et secuit flavos formoso e vertice crines
 22 et quae ludebant per rosea ora comae.
 23 Haec tulit infelix nigrae munuscula morti ;
 24 haec dedit exsequiis tristia dona tuis.
 25 Ex illo nitidos non carpsit tempore flores
 26 nec perluciduli fluminis hausit aquam,
 27 nec quisquam Assyrio fragrantem hanc sensit odore,
 28 nec dulces posthac fundere ut ante sonos ;
 29 nec potis est quisquam verbis lenire dolentem :
 30 et jam aestas una atque altera praeteriit,
 31 cum tua honorato donavimus ossa sepulchro
 32 et tibi fraternae justa dedere manus.

33 Illa gemit, seu nimbo sedet Appennino,
 34 seu fertur celeri per maria alta rate ;
 35 et cum sol vestit terram et cum mergitur undis,
 36 ingeminat luctus et magis atque magis.
 37 Ah quoties dixi : "Jam tempus solvere luctu
 38 lumina : jam lacrimis satque superque datum est ;
 39 debita, Laura, viro jam munera persolvisti :
 40 desine jam tantis te cruciare malis !"

41 Non tamen assiduo cessat tabescere fletu :
 42 turgiduli aeterno rore madent oculi.
 43 Ut foliis tenerum caput inclinant hyacinthi
 44 cum pluvia emolles forte gravantur aqua,
 45 et jam purpureus languet depressus humi flos
 46 nec templa exornat candida caelicolum :
 47 sic lacrimis ubertim effusis extenuata est
 48 nec priscum retinet languida facta decus.
 49 Nunc etiam veteres mecum officiosa querelas
 50 integrat, antiquo maesta sedens tumulo.
 51 Audiit hos gemitus Verona ex collibus altis ;
 52 miscuit huic lacrimas lene fluens Athesis.
 53 Heu, Verona, tibi jucundum lumen ademptum est,
 54 cum bello exardens ferveret Italia !
 55 Illa tempestate malis deperdita fatis,
 56 clamabas surdos in tua vota deos.
 57 Infelix bellum urgebat, lacrimabile bellum,
 58 bellum hominum et virtutum aspera perniciēs.
 59 Heu, Verona, olim flos Europaeque Asiaeque,
 60 unica doctorum mater amata virum !
 61 Tu non frigidulum fovisti corpus alumni,
 62 sed quae Benaci fluctibus alluitur
 63 ripa, viro felix, illius clara sepulchro
 64 quem miseri nautae numinis instar habent :
 65 cum venti circum adlatrant spumantibus undis,
 66 illius puppis numine tuta volat ;
 67 aspirant placidi jucundo murmure venti,
 68 suspirat Zephyrus leniter horrificans.
 69 Benacus pater huic assurgit sedibus imis
 70 cum mare pacatum saepe supervehitur ;
 71 illum circumstant Benacides admirantes
 72 et se prae invidia fluctibus increpitant.
 73 Idcirco tumulo sacras pendere tabellas
 74 vidimus, et templo multa corolla nitet.
 75 Stant myrti amplexae tumulum laurusque virentes,
 76 quas memor assiduis Laura rigat lacrimis ;
 77 sponte sua insurgunt citri superimpedentes :
 78 illas non aestas, non fera adurit hiems ;
 79 vidimus hoc violas passim vernare sepulcro :
 80 vidimus hiberno tempore hiare rosas.
 81 Has inter lacrimas fundit medicina tepentes :
 82 nam medicina tibi quando parem inveniet ?
 83 Quod ne hoc officium pertranseat illaudatum,
 84 te medicas artes instituisse ferunt.
 85 Nam quis te melius succos cognovit et herbas ?
 86 Quis naturae arcana altius explicuit ?
 87 Te quoque cantantem silvae sunt saepe secutae ;
 88 ipse Athesis tacita pone secutus aqua est.
 89 Te Ticini Nymphae audierunt paeana canentem
 90 propter jucundi fluminis hospitium.
 91 Cantabas, memini : querulae tacuere cicadae,
 92 nec strepuit rauco silva refracta sono.
 93 Olim cum caneres, quae praemia digna tulisti,

94 cum te artis carum amplexibus exciperet
 95 Laura, tibi jucunda ! Et sidera nocte serena
 96 fulgebant tremulis conscia luminibus.
 97 Illa in te dulces furtim argutabat amores,
 98 libans mixta pudore oscula virgineo,
 99 et modo gaudebat Veneris conferre loquellas :
 100 vocibus in vestris mutuus ardor erat.
 101 Sed, quoniam casu te sors oppressit acerbo,
 102 laeta recordari tempora nunc miserum est.
 103 Nam quis te invidit nobis deus : an quia amantes
 104 stare diu unanimes impia fata vetant ?
 105 Invida te num quid rapuerunt numina terris
 106 ut caelum ornarent lumine conspicuo ?
 107 Certe dignus eras caelo fulgere sereno,
 108 esse Ariadnaeae stella propinqua comae.
 109 Sed quid plura loquar ? Tantas dum scribere laudes
 110 exopto, scribendo anxius invigilo.
 111 Ergo, Flaminiae gentis decus, edite Musis,
 112 Marce, nascentis unica spes Latii,
 113 ingrati vitio ne temporis obscuretur,
 114 illum aetas docto in carmine longa legat :
 115 namque sibi tales fieri mandavit honores
 116 doctorumque petiit scripta diserta virum.
 117 Ille tuo dignus laudari carmine : nam tu
 118 antiquos doctis versibus aequiperas.
 119 Mi sat erit lacrimas cineri dare semper amici,
 120 quo sine jam non est vivere dulce meum.

AD CALANDRAM

N_240 v.1 Queis nam ego te verbis consoler, amice Calandra,
 2 jamdudum meditor, cum sim solandus et ipse
 3 morte immatura Hippolyti fatisque severis,
 4 erepti ante diem, cum jam virtutis odorem
 5 spargeret et sapiens patrum redoleret honores.
 6 Ille quidem magis hoc uno nihil exoptabat
 7 quam domino placuisse suo, quam industrius esse
 8 officio thalami addictus : jamque ille Calandrae
 9 spes columenque domus. Fles ergo et pectora tundis,
 10 nec lacrimis sinis esse modum : sic liquitur altis
 11 vere ineunte jugis nix, Phoebos tacta sereno,
 12 quam deformis hiems sub sole coegit iniquo.
 13 Hocne virum decet edoctum et sophiae documentis
 14 instructum, qui cum terras et quicquid in orbe est
 15 quod lunam et caelum subter mortale repostum
 16 esse sciat, causa mortalis materialis,
 17 corruptum atque lutosum atque omni ex parte caducum ?
 18 Forte tuos gemitus caelo deridet ab alto
 19 mortalesque hominum curas et gaudia spernit,
 20 cetera laetus, at hoc tristis : quod raptus acerbe
 21 officia in dominum exoptata explere nequivit.

AD VIRGINEM EX FRANCISCO PETRARCHA

N_241 v.1 Virgo, decus caeli, terrarum sidus amicum,
 2 Phoebeis frontem radiis praecincta serenam,
 3 quam pater ipse deum tanto est dignatus honore
 4 [LACUNE]

N_242 v.1 Alphonsus Davalus martio vasti
2 moriens immortalitatis testes
3 Caesarem et Caesaris hostes reliquit.

AD SOLEM DE ILLUSTRISSIMO MATRUTIO

N_243 v.1 Matrutio pastore potes quid temere majus ?
2 Ipso non melius cernere, Phoebe, potes.

DE EODEM

N_244 v.1 Incustoditas linque, o Galathea, capellas ;
2 incustoditum, Tityre, linque pecus.
3 Matrutius custodit oves : custodit et agnos
4 pastor, et a stabulis jam lupus omnis abest.

AD EUNDEM

N_245 v.1 Si mater tibi nascenti dedit ipsa galerum,
2 illum, Madruti, quis neget esse tuum ?

DE EODEM ILLUSTRISSIMO PRINCIPE

N_246 v.1 Nescio quid majus Jano qui cernere gestis
2 Madruti videat principis ora mei.
3 Ille bifrons, canam hic juvenili in pectore mentem :
4 inque uno aetatem corpore utramque gerit.

AD HOSPITES DE IMAGINE ILLUSTRISSIMI DUCIS FEDERICI MANTUAE

N_247 v.1 Haec quam cernitis, hospites, imago
2 magni Federici est decora imago,
3 quae noctis comes et comes diei est.
4 Quam cum prospicio, mihi beatus
5 et diis par videor : dies sereni,
6 tersi nubibus omnibusque ventis,
7 et noctes mihi candidae refulgent.
8 Recordatio tunc subit beata :
9 vultus, lumina principis recursant,
10 nec quicquam est adeo grave atque acerbum
11 quod cor discruciet meum vel angat
12 quin non leniat haec benigna imago.
13 Haec curas animi levat molestas
14 conspectuque beat suo videndo.
15 Quod si picta tabella talem habet vim,
16 amabo : quid erat videre vivum ?

DE WARGNANO

N_248 v.1 Propter Misonis fontes et Dallidos undas
2 ipse Lomasinis flores selegit in hortis
3 Vargnanus, variaque sibi de fronde corollam
4 texuit, ut famam patriaeque sibi pararet

5 perpetuam et numquam moriturum in saecula nomen.
 6 Ergo Misonis fontes et Dallidos undae
 7 felices, floresque aeterni aeternaque sarta :
 8 hi qui illum audierunt, haec quae ornare poetam.

ALIUD

N_249 v.1 Floribus ornatum variis et suavibus herbis,
 2 instar apis, conflavit opus Vargnanus, ut inde
 3 Vargnani aeterno pubescat vinea fetu
 4 et niteant tumidi nativa e stirpe racemi.

ANNAE RHEGIENSIS PUELLAE A PATRUO INTERFECTAE ET NON VITIATAE

N_250 v.1 Ne morerer, volui periisse : at vita perennis
 2 servatae pretium virginitatis erit.

ALIUD

N_251 v.1 Virgineam patruus zonam dum solvere tentat,
 2 me necat et vita dat meliore frui.

N_252 v.1 Juppiter incaluit Violantidis igne Valentae ;
 2 auriferam quondam si simulavit aquam,
 3 convertit nunc se in fulmen : descendit, et inde
 4 illius hiberno est tempore tacta domus.

UNDE "UNITAS" CLESII CARDINALIS

N_253 v.1 Justitia atque fides profugae et prudentia terris
 2 quas colerent sedes consulere diu ;
 3 tandem animo insedere tuo, Clesi, optime princeps :
 4 hinc tribus ex illis unio facta tibi est.

DE ADVENTU EIUSDEM

N_254 v.1 Non tam laeta fuit Partho fugiente Vienna,
 2 barbaricum metuens fida subire jugum,
 3 adventu quantum Clesi plebs laeta Tridenti est,
 4 pro quo adolet sacris tot pia tura focus :
 5 et merito, quoniam, redeunte hoc principe, quicquid
 6 justitiae est, quicquid pacis in orbe redit.

MAXIMO RIPENSI

N_255 v.1 Intermissa iterum cur, Maxime, carmina tentas
 2 atque aetate gravis mollia plectra moves ?
 3 Nil cum causidico est sacris commune poetis :
 4 diversum est, ut scis, hujus et hujus opus.
 5 Sisyphio leges tu volve revolve labore,
 6 unde cliens referat nomen ad astra tuum :
 7 unde tibi assurgant aequata palatia caelo
 8 unde tibi innumero sit gravis aere domus.

9 Cornelio citharam caroque relinque nepoti,
 10 aptus uterque sacras sollicitare deas,
 11 unde suo laudum cumulus succrescat honori
 12 aeternum et volitent clara per ora virum.
 13 Tu cave ne Cirrham coneris scandere : Musas
 14 furcillis fama est praecipitare senes.

AD CAMILLAM VALENTAM

N_256 v.1 Cum mater tibi sit Palias, cui denique mirum
 2 quod doctos versus, culta Camilla, facis ?
 3 Hoc admirandum, cum sis vel mater Amorum,
 4 quod proba, quod servas rara pudiciciam.

AD LYCISCUM. ODE

N_257 v.1 Ne tu, care Lycisce, amplius, obsecro,
 2 hoc corpus crucies, tuum
 3 neu perdas miserum incautus amiculum.
 4 Ah ah ah, quid agis ? Nonne vides uti
 5 virus nescio quod meo
 6 dirum ex inguine stillet,
 7 paulatimque meo pectore diffluat
 8 omnis spiritus et calor ?
 9 Poenarum satis et super
 10 nostro jam dedimus sanguine : jam malos
 11 cantus dimoveas, amove imaginem !
 12 Has artes potius tuas
 13 vertas in fugitivum et tenerum Lycem, aut
 14 carpentem nitidae basia Persiae
 15 rivalem in Furias age.

IN LAUDATOREM PINCII

N_258 v.1 Cum Pinci cantas prorsa vel carmine laudes,
 2 dixisti ornate, candide et apposite.
 3 Pincius exclamat : "Credo belle omnia dicas ;
 4 an vere dicas omnia in ambiguo est."

IN LUDUM

N_259 v.1 Quis te, dira lues, infernis extulit oris ?
 2 Quis tantum nostro sparsit in orbe malum ?
 3 De capite orta tuo sunt semina cuncta malorum,
 4 semina rixarum de capite orta tuo.
 5 Inseris excrucians spinosas pectore curas ;
 6 non redituri affers temporis interitum ;
 7 virtutum exitium es, letali armata veneno,
 8 atque ideo Furiis addita quarta comes.
 9 Tu potis es fratres concordem vertere ad arma ;
 10 tu potis antiquas solvere amicitias.
 11 Te vitiorum altrix et habendi caeca libido
 12 cogit in immeritos jurgia ferre deos.
 13 Ira deum, cum ignem raperet de sole Prometheus,
 14 hanc mortale dedit contemnerare genus
 15 idque malum et febres terris immisit apertis :
 16 heu heu, quantum audax in mala nostra fuit !

17 Saepe lacessitus telluri denegat imbres
 18 Juppiter, aut terris fulmina dira quatit ;
 19 saepe arens tellus nimio sub sole fatiscit,
 20 languidaque incassum supplicat herba Jovi :
 21 hinc lolio et stipula agricolas eludit inani ;
 22 inde cadunt pecudes et genus omne virum.

AD HORTENSIIUM

N_260 v.1 Hortensi, lepidos tuos libellos
 2 perlegi, aureolos tuos libellos,
 3 queis doces animi levare morbos
 4 et solaciolum referre menti,
 5 menti sollicitae anxiaeque menti.
 6 O doctum medicum atque praeferendum,
 7 quotquot sunt medici novi et vetusti
 8 qui norunt dare corpori medellam !
 9 Tam tu illis meliorque doctiorque
 10 quantum purior est beatiorque
 11 omni corpore mens gravi et caduco.

AD CAMILLUM LYCOCEPHALUM MANTUANUM

N_261 v.1 Quum tot nomina clara maximorum
 2 heroum eripias, Camille, morti,
 3 tempori quoque subtrahas iniquo
 4 dilectae tibi nomen Ipsitillae
 5 chartis perpetuis et eruditis,
 6 furem quis neget esse te, Camille ?

DE ILLUSTRISSIMO PRINCIPE TRIDENTINO SUB ALCONIS PERSONA

N_262 v.1 Rhandenae Dryades et agrestia numina montis,
 2 Alconem vestris excipite arboribus.
 3 Arida dum querulae resonant pineta cicadae
 4 et medio fruges ventilat aura die,
 5 vos illi gelidis inducite fontibus umbras,
 6 seu dormit, liquido seu levat amne sitim.
 7 Scribite fagineis "Alconem", scribite acernis,
 8 "Alconem" quernis scribite corticibus.
 9 Sertaque ne pigeat contexere suavibus herbis :
 10 certa colore illi, certa et odore placent.
 11 Seu natat et corpus Sarcae sub gurgite mersat,
 12 obvia spumosis tollite saxa vadis ;
 13 aut cum venatu silvas et lustra fatigat,
 14 claudite apros : molles objicite huic lepores.
 15 Haec facite ut, cum illum decorarit Roma galero,
 16 non tamen et vestri non meminisse queat.

N_263 v.1 Federicum quaecumque vocas, mala lingua, tyrannum
 2 danda es nocturnis dilanianda lupis.
 3 Dum vixit felix, et Mantua tuta quievit :
 4 sed moriente illo concidit orbis honos.
 5 Militiae secum splendor, secum Itala virtus
 6 et spes invicti Caesaris interiit.
 7 Quod si Isabella fuit tam dirae cladis origo,

8 femina si tantum est concipere ausa nefas,
 9 exagitate illam, Eumenides, ultore flagello,
 10 sintque illi statuae, tela, tropaea, faces.

IN EIUS FUNERE

N_264 v.1 Mantua, Federici tristis complexa cadaver,
 2 exclamat : "Non haec est tua, sed mea mors."

AD BORDELLINUM FLUVIUM

N_265 v.1 Bordelline, Hierum mersisses amne rapaci,
 2 ni tibi clamasset : "Est meus ignis edax !"

N_266 v.1 Infelix Furi, matri atque invise parenti,
 2 ausus es Archensem conscelerare domum
 3 quam tot majores titulis auxisse parentes
 4 atque omni studio condecorasse palam est.
 5 Quae te dira fames auri et vesana libido
 6 impulit ut tantum flagitium faceres ?
 7 Nec te movit honos, nec te reverentia clari
 8 sanguinis [LACUNE]

DE FURIO

N_267 v.1 Infelix domus, fatis deperdita iniquis,
 2 quam priscorum hominum tot decoravit honos,
 3 te mala mens Furi et numquam exsaturata libido
 4 perdidit [LACUNE]

ALIUD

N_268 v.1 Majorum libet expiare manes
 2 ut mos est veterum et pium institutum :
 3 adeste, o pueri integri et puellae
 4 [LACUNE]

N_269 v.1 Ite hinc, ire procul, malae podagrae,
 2 neu me tot cruciatibus secate.

DE ILLUSTRISSIMO FEDERICO DUCE MANTVAE DEFUNCTO ODE AD HOSPITEM

N_270 v.1 Federici manes quis caeli deneget inter
 2 vivere semideos,
 3 ornarit cum tot meritis te, Mantua, cum tot
 4 munera contulerit ?
 5 Cerne superbam : palatia, templa in honorem
 6 amplificata deum.
 7 Conspice et invicto circumdata moenia vallo :
 8 moenia Martis opus,
 9 quae neque terrifico prosternant bellica ferro
 10 tela, nec ipsa Jovis.
 11 Quis non Marmiroes pomaria tectave laudet,
 12 tecta habitanda deis,

13 Teiaque Romanis certantia mausolaeis
 14 atria et innumeris
 15 picta modis et sculpta modis palatia miris ?
 16 Quid ? Quod equos aluit
 17 assuetos bello et tot equorum deinde magistros
 18 Mantua clara videt.
 19 Denique Federici est, hospes, quodcumque tueris
 20 artis et ingenii.
 21 Quod ni illum terris fata immatura tulissent -
 22 proh dolor Italiae ! -
 23 virtutem illius novisset Parthus et Indus.
 24 Dicere pauca nefas :
 25 facta nefas magnorum heroum ingentia parvis
 26 attenuare modis.

PRIVILEGIUM VENERIS

N_271 v.1 Alma Venus, regina Paphi, regina Amathuntis,
 2 et dea frondosum quae teneo Idalium,
 3 litoreae domina Anconae, maris edita spuma,
 4 ipsa eadem genitrix maxima Romulidum,
 5 his te muneribus decoro grataque papyro,
 6 Archi, ne ingratae nomen habere ferar.
 7 Unica et in nostram vetus observantia gentem
 8 nec non longa tui tempora servitii,
 9 et tua, jam decimum bene mi spectata per annum,
 10 integra et ex omni parte probata fides,
 11 paene suo a nobis exposcere jure videntur
 12 ut tibi dem meritae praemia militiae :
 13 et si quid fore jucundum foreve utile quidquid
 14 sensero, sim larga laeta datura manu.
 15 Utque tuis meritis et justa et digna rependam,
 16 Delia amata, tibi Delia munus erit,
 17 pro qua ardere dies noctesque haud mollia cessant
 18 pectora vel flammam evomere usque novas :
 19 non secus ac Siculis Vesuvius aestuat oris,
 20 non secus Aetnaeis rupibus ignis hiat.
 21 Nunc cape mercedem ardoris fructusque laborum
 22 inque tuos veniat laeta Philena sinus,
 23 quae merito tibi debetur, quae pertinet ad te
 24 qui tuleris quicquid durum in amore pati est.
 25 Hanc igitur tibi habe : felix potiari cupita,
 26 ter felix dominamque in tua jura voca.
 27 Jamque triumphantis partes victoris agantur :
 28 concipe et ardoris gaudia prima tui.
 29 Basia nunc miscete, simul nunc ludite utrique :
 30 fas sit vel media concubuisse via.
 31 Indultum hoc vobis : libet hoc impune licere
 32 dum metat extremum Parca severa diem.
 33 Praeterea addentes ne quis tentare vel ausit
 34 hanc pretio aut blanda sollicitare prece.
 35 Qui secus ac jubeo male prudens egerit, illum
 36 ludat lascivo juncta puella viro :
 37 illi sint inimicitiae rixaeque perennes ;
 38 semper amet fructu semper amoris egens.

ODE

N_272 v.1 Magne Madruti, venerande pastor,

2 ne gregem, ne nos miseros relinque,
 3 nec tibi tanti sit adire magni
 4 nominis Istrum,
 5 caelum ubi aeternis nivibus rigescit
 6 atque hiems informis aquas ab atra
 7 nube dissolvit, furit aestuoso
 8 sidere Orion.
 9 Caesares quamvis adeas et orbis
 10 lumina, exoptant tua qui videre
 11 ora, queis plauso excipiere, multo
 12 non sine honore,
 13 non tamen cari fugiat popelli
 14 cura, quem nutu moderaris et jam
 15 legibus sanctis renovas tuoque
 16 nectare pascis.
 17 Te sine, insano trepidant tumulto
 18 tesqua ; tu praesens pecudes inermes
 19 ore defendis rabido luporum
 20 a(gmina) servas.

AD LINGUAM MALEDICAM

N_273 v.1 Scilicet es mendax, quaecumque es, lingua profana,
 2 lingua cloaca omni foedior et gravior,
 3 audes sinceram quae Isabellae carpere vitam
 4 femineum et falsa labe notare decus,
 5 quae vitiiis animi fractis ita crimina abhorret
 6 ut puris ornet moribus Italiam.
 7 Ergo, si curae non ipsa in morte relinquunt,
 8 per Styga latratum, lingua canina, dabis.

ILLUSTRISSIMI FRANCISCI DUCIS URBINI EPITHAPHIUM AD JOVEM

N_274 v.1 Franciscum, belli fulmen, dum surripis, ira,
 2 Juppiter, haec justa ? Dicam ego, pace tua,
 3 aut nulla humanae tangit te cura salutis,
 4 aut iterum metuis proelia terrigenum.

DE GALLIS

N_275 v.1 Errant qui dicunt Gallos non posse potiri
 2 Italia : hanc Gallis quis tumulum esse neget ?

DE IUNIPERO

N_276 v.1 Unicus in terris Phoenix sacer ales habetur :
 2 sacra est in terris unica juniperus.
 3 Transfer odoratas segetes, sacer ales : in illa
 4 te renova inque una compare junipero.

EPITHAPHIUM MOLZAE

N_277 v.1 Molza, jaces. Flerunt te discedente Camenae :
 2 Romanae Grais miscuerunt lacrimas.

IN ACHILLEM BOCCHIUM

N_278 v.1 Quo fugis, o Bocchi ? Vicini litora Rheni
 2 non te servabunt, silva nec alta comas.
 3 Nil tutum est - mi crede - tibi : civilibus armis
 4 dum trepidant alii, te aera aliena fugant.

IN BAPTISTAM FIERAM

N_279 v.1 Surripuere tibi librum vestemque, Fiaera,
 2 defuncto, fures. Hac ratione, puto :
 3 cum nudus matre exieris, toga nulla sepultum ;
 4 cum indoctus fueris, pagina nulla decet.

AD ANDREAM ALCIATUM

N_280 v.1 Cui mandarem onus hoc laboriosum
 2 et diu et satis ipse cogitavi.
 3 Imprimis mihi maxime Alciate,
 4 occurris, decus Atticae Minervae,
 5 consultissime juris Alciate,
 6 Romanae decus, Alciate, linguae,
 7 quem Ferraria suspicit legentem,
 8 miratur Padus aurifer docentem.
 9 Nam tu flore puertiae solebas -
 10 si recte memini - dies jocosos
 11 mecum condere, mecum et otiari
 12 ad litus Ticini, fluentes undas.
 13 Oraclum ergo mihi tuum remitte :
 14 lites sistere nam soles protervas
 15 illo iudicio tuo expolito.
 16 Quicquid (tunc) tua senserit Minerva,
 17 id ratum esse jubebo, et acquiescet
 18 omnis turba furorque litigantium.
 19 Tu vix credere, ego explicare possem
 20 quantum me, studio severiore
 21 distractumque aliis et occupatum
 22 curis, cum licet otio vacare,
 23 juvat volvere me tuos libellos
 24 tui et suspicere ingeni labores.

DE PACE. ODE

N_281 v.1 Pax iterum terris redit et saecla aurea surgunt
 2 Caesaris auspiciis.
 3 Omnia tranquillam faciem vestire videntur,
 4 ridet et omnis ager.
 5 Integrat rastra intermissa colonus,
 6 pastor agit pecudes
 7 [LACUNE]
 8 [LACUNE]

ECLOGA SUB ALLEGORIA ILLUSTRISSIMI DUCIS FRANCISCI MANTUAE SECUNDI
 ET SERENISSIMAE CATHARINAE, REGINAE UXORIS

N_282 v.1 Dum vestit Phoebus redivivo gramine terram

2 et Zephyrus pingit prata colore novo,
 3 Archius haec cecinit, viridanti innixus olivae,
 4 tollit ubi parvis se Capriana jugis :
 5 "Huc ades, o Galatea : redit pax aurea terris ;
 6 jam placidus, domito Marte, triumphat Amor.
 7 Exspectata, veni : Faunus te molliter ardet
 8 et desiderio liquitur ille tui,
 9 dumque tuos absens secum suspirat amores,
 10 insomnes noctes ducit et ille dies.
 11 Linque domos patrias et tanti nominis Istrum
 12 inque tui Fauni laeta recurre sinum.
 13 Ipsa tibi violas hiberno tempore tellus
 14 submittet niveas purpureasque rosas.
 15 Flava tibi nivibus mediis florebit arista ;
 16 plena caprae referent ubera lacte domum ;
 17 sudabuntque tibi caelestia mella genistae ;
 18 aurea stillabit succina lenta salix.
 19 En te Margarite prae cunctis cernere gestit
 20 diversasque parat ruris et urbis opes.
 21 Quali te amplexu excipiet caramque fovebit ;
 22 imprimet intactis oscula quanta genis !
 23 Marmiroe te pulchra vocat : tibi lilia servat,
 24 servat et intacto plena canistra croco.
 25 Pingit odoratis redolentia sarta ligustris :
 26 sarta colore tibi, sarta et odore placent.
 27 Teia Venus prati mollis populatur honorem
 28 et tibi florentem subsecat ungue thymum.
 29 Illic educat spirantes hortulus herbas ;
 30 surgit et intonsa citria silva coma.
 31 Andini late resonant tua nomina saltus
 32 quaeque suo resonant pascua Vergilio.
 33 Eridanusque pater, praecinctus cornua musco
 34 frondeque populea, litore plaudit herae
 35 praetenditque manu ramosa coralia trunco
 36 quae genitor Nympharum attulit Oceanus.
 37 Mincius intexit calathos, quos mollis acanthus
 38 vestit, et hos hederæ brachia lenta ligant.
 39 Laeta tibi niveas pascit Spinosæ columbas ;
 40 poma suis pendent roscida ab arboribus.
 41 Te quercus salicesque vocant, tu diceris inter
 42 Nympharum aequales pulchrior esse choros,
 43 collaque cycneas vincunt tua candida plumas :
 44 ut rosa purpurea es, ut viola alba genas.
 45 Huc ades : hic umbrae nemorum, et de valle volutus
 46 fons gelidus rauco murmure saxa ciet.
 47 Hic nitidi soles, hic indulgentia caeli,
 48 hic tristes animos gramina laeta movent,
 49 aurarumque leves animae tenuesque susurri
 50 pastorum dominam voce favente petunt.
 51 Tecum concordēs Faunus bonus exiget annos,
 52 qui nunc formosi tempora veris agit :
 53 utque erit hic tenerae turtur tuus et tua vita,
 54 sic pulchra fies tu quoque prole parens.
 55 Utque huic conjugio magni assensere parentes,
 56 sic felix nobis sis, Galatea, precor.
 57 Fortunata veni : semper tibi Tityrus adsit,
 58 candidior pecori candidiorque tuo.

AD AELIUM IULIUM CROTTUM CREMONENSEM

N_283 v.1 Aeli candide, culte amabilisque
 2 si quisquam est alius, probus bonusque,
 3 quam desiderio ardeo nitenti,
 4 immo incredibili tui videndi !
 5 Nam nugas volo nescio tibi quas
 6 meas perlegere atque risione
 7 tua perfrui et allocutione :
 8 tibi arcana aperire mentis opto.
 9 Quare, te rogo, rusculum relinque :
 10 illic nulla puella te retardet,
 11 seu sit rure suburbiove nata,
 12 seu sit candida, seu ustulata sole,
 13 et quamquam oscula porrigat trecenta.
 14 Nec te, Aeli, Icarius canis moretur,
 15 quamquam agros sitibundo hiulcet ore :
 16 Mantuam propera, viam vorato.
 17 Festina, rogo, et advola, si amas me
 18 ut te amo, veterem et fidelem amicum
 19 luce, vita animaque cariorem.

VOTUM P. LUZASCHI AD VENEREM THEIAM

N_284 v.1 Teia Venus, cui tam formosa palatia surgunt,
 2 cui nova templa nitent auspice Federico,
 3 haec tibi Luzaschus tuus et Mavortius heros
 4 triginta horrentum corpora ponit aprum,
 5 quos ille ad ripam Ticini Insubribus arvis
 6 prostravit, multa non sine caede canum :
 7 corpora quae informi pendent horrentia rictu
 8 et dente et saetis formidolosa rigent.
 9 Vulneris ipse sui atque tui haud oblitus amantis,
 10 vindicat occisis vulnus utrumque feris.

DE GERMANIS APUD CERESOLUM OCCISIS

N_285 v.1 Dum pro Caesare, pro focus et aris
 2 loco dimicat atque Marte iniquo,
 3 Rheni et Danubii juvena cultrix
 4 Insubrum prope Cerae solia arva,
 5 Gallorum cecidit manu perempta.
 6 Decorae tamen est necis levamen
 7 quod Gallo haud fuit incruenta palma :
 8 victrix Gallia dimicasse nollet.

AD GALATHAEAM

N_286 v.1 Dilecta o Galatea, pulchriorque
 2 rosis purpureis ligustro et albo,
 3 huc ades : vocat ipse Faunus inter
 4 condensas corylos et aesculeta,
 5 dum servat genitrix vagas capellas.

DE PARTU GEMELLORUM ILLUSTRISSIMAE MARGARITAE AUSTRIACAE FARNESIAE.

N_287 v.1 Margarite geminos partu dedit Austrias uno,

2 Octavi sobolem progeniemque deum :
3 scilicet ut tellus, quanta est, deserviat uni,
4 alter ut imperium vendicet Oceani.

DE HELLEONORA MARTINENGA

N_288 v.1 Corporis atque animi praestans virtutibus, orbis
2 postquam sublata est Helleonora decus,
3 aut tangi invidia superos jam credere fas sit,
4 perdere vel morti posse licere deas.

VOTUM AUCTORIS AD DIVUM BERNARDINUM FELTRENSEM ADVOCATUM

N_289 v.1 Dum colerem Ticinum, studiis et legibus alnum,
2 hic mea divina membra levavit ope,
3 quae consumpta diu cruciataque febre jacebant :
4 hoc igitur carmen testificetur opus.
5 Pro quibus officiis fateor debere sacellum,
6 et faciam : nunc pro tempore pictus erit.

N_290 v.1 Dum Petri bona cuncta voras, dum viscera Christi
2 exhauris, jam non es Leo, sed lupus es.

DE HERNANDO MARCHIONE PISCHARIAE

N_291 v.1 Hernandus tumulo seque ornat carmine. Acervus
2 gestorum est tumulus, carmen et ipse suum est.

IN OBITU ISABELLAE ESTENSIS MARCHIONISSAE MANTUAE

N_292 v.1 Dominam Isabellam Estensem Marchionissam Mantuae
2 cur mortalium ex oculis surripuit fatum ?
3 Ne caelum tamdiu terris hoc invideret bonum.

ALIUD EXAMETRON TETRASTHICON

N_293 v.1 Mortales, vobis raptam quid fletis Elisam ?
2 Parcite : nam rerum hoc pulcherrimus exigit ordo
3 ut, quum semideis tribus illustraverit orbem,
4 aspectu beet ipsa suo caeli aurea templa.

DE CANE CHIPERIO AB AQUILA RAPTO

N_294 v.1 Chiperium illa eadem pedibus mihi sustulit uncis
2 quae terris Ganymedem abstulit, alituum
3 regina : atque inter, jussu Jovis, astra locavit
4 ut Cane praeniteat pulchrior Erigones.

AD ALPHONSUM MARCHIONEM VASTI. ODE

N_295 v.1 Alphonse, rarum militiae decus,
2 invicta bello progenies patrum,

3 qui nomen aeternans Latinum
 4 Parthenopes iteras triumphos,
 5 quis facta dictis aequiparet tua ?
 6 Quis possit altum robur et ingeni
 7 aequare virtutem canendo, aut
 8 perpetuis celebrare chartis ?
 9 Non si ille quicquid concipit in jugo
 10 Phoebus bicorni mente revolveret :
 11 non si Camenarum sacerdos
 12 ex adytis numeros referret,
 13 tot nota terra proelia, tot mari
 14 primo virentis flore puertiae,
 15 regesque captivos, vel ipso
 16 cum duce sub patruo mereres
 17... LACUNE]

N_296 (Pièce absente de l'édition numérisée. Lacune ou erreur de numérotation ?)

DE ILLUSTRISSIMO FRANCISCO ILLUSTRISSIMI FEDERICI DUCIS FILIO

N_297 v.1 Unde nova in terris ales praefulsit, et unde
 2 missus in Andinas est honor albus aquas ?
 3 Nam neque Maeandri talem neque ripa Caystri
 4 nec fert huic similem Mysia terra cygnum :
 5 est igitur caelo vocalis lapsa volucris,
 6 nubila quae pennis dividat ambrosiis.
 7 Cui merito liquidis assurgit Mincius undis
 8 amnis et applaudit plurimus Eridani ;
 9 ille tenellus adhuc cantus exercet amatos
 10 Pieridum et sese tollere tentat humo,
 11 ut merito invideat, stellis ornatus et auro,
 12 quamvis sit Ledaë Cygnus amorque Jovis.
 13 Quem si dextra diu servarint numina, nostro
 14 Aurea speramus tempore saecula fore.

DE BAPTISTA FIAERA

N_298 v.1 Alter ab Hippocrate Andinoque, Fiaera, poeta,
 2 heu duplici Phoebi munere functus obit.
 3 Cessavere artes medicae et divina poesis :
 4 jam regnant morbi, facta virum pereunt.

DE CHIPERIONE CANE RAPTO AB AQUILA.

N_299 v.1 Chiperion aquilae pedibus raptatus aduncis
 2 astra petit : geminus nunc tenet astra Canis,
 3 vos Phaethonteos iterum sperate calores,
 4 agricolae : duplex Sirius arva coquet.

ALIUD AD CHIPERIONEM

N_300 v.1 Est tibi Chiperion, tumulus regina volucrum :
 2 morte alia, haud alio dignus eras tumulo.

ALIUD

- N_301 v.1 Jam caelo canis (....) timete
2 aestatem, agricolae, siticulosam.
- N_302 v.1 Intacta virgo virginum, decus, jubar
2 quotquot fuere virginum,
3 salve, decora, florida ut nitens rosa
4 vix tacta sole primulo :
5 formosa virgo, maximi parens Jovis !
6 [LACUNE]
7 Tibi renidet inclytus canit chorus,
8 omnesque serviunt poli :
9 ut ipsa sospites quaeso genus meum
10 beesque cuncta prospere
11 [LACUNE]

AD VELSIUM

- N_303 v.1 Velsi maxime, quae tacebit aetas,
2 quae nostro regio remota ab orbe
3 in regem officia, optimum patronum,
4 in bonos benefacta tot relata ?
5 Quis tot parta tropaea, totque opima
6 narrabit spolia effero tyranno
7 errepta, et decorata templa divum ?
8 Quis tot prospera bella proeliata
9 pro re et religione Christiana ?
10 Haec si saecula nostra conticerent,
11 essent saecula dira et infaceta.

EPITHALAMION ILLUSTRISSIMI DUCIS FEDERICI PRIMI MANTUAE

- N_304 v.1 Surge jam croceo e toro,
2 aurato thalamo exiens :
3 musco interlita prata
4 et ripas Aganippes
5 linque, o frater Amoris.
6 O Hymen, Hymenaeae, Hymen !
7 Jamjam purpureum caput
8 Aurora exerit, et polo
9 tam pulchrum revehit diem
10 quam mortalibus usquam
11 laeto illuxerit orbe.
12 O Hymen, Hymenaeae, Hymen !
13 Te procedere palla
14 aurata decet, et rosis
15 frontem condecorarier :
16 lutea viola [LACUNE]
17 texunt sarta puellae.
18 O Hymen, Hymenaeae, Hymen !
19 Sparge candida lecta
20 suave olentibus herbulis
21 [LACUNE]

N_305 v.1 Sarchae ad litora fluminis canebat
 2 pastor Sarchius, adpetente vere,
 3 dum pascit niveas suas capellas
 4 et texit salice e levi quasillum :
 5 "O pulcherrima Phylli, quid moraris ?
 6 Cur non huc ades, o decora Phylli ?
 7 Viden buxifer ut vocat Brionus
 8 Lymphanusque caput nitens oliva ;
 9 te pomaria, te vocant salicta
 10 et nostri sine te greges miselli.
 11 O pulcherrima Phylli, quid moraris ?
 12 Jam florent silvae, nemus virescit :
 13 hic carpes violam et rosas rubentes
 14 et texes capiti tuo corollam.
 15 Hic inter corylos et aesculeta
 16 captabis placidum, petulca, somnum ;
 17 hic unda vitrea pedes lavabis."
 18 O pulcherrima Phylli, quid moraris ?

IN DUCEM URBINII DEFUNCTUM.

N_306 v.1 Francisco superi errepto invidere triumphum
 2 Parthorum : superos, heu, movet invidia !

N_307 v.1 Indoluit Mars quod terris Mars alter adesset
 2 quique pari secum armorum certaret honore.

N_308 v.1 Illa eadem quae Franciscum mors abstulit orbe,
 2 illa eadem miseram perdidit Italiam.

TUMULUM PUELLAE LYGDAE

N_309 v.1 Puella Lygda, nesciens prius virum,
 2 telo confossa amantis horrido nimis,
 3 in medio amatae dulcedinis languida,
 4 animam cogor anhelantem relinquere
 5 in labris inscientis homicidae.
 6 Ille cadentem sustinere adnititur,
 7 verum, ut delapsam conspicit, illico
 8 peccantem gladio penem innocens secat
 9 illumque mecum mandat hoc sub tumulo,
 10 quasi animal illud pro noxa efferum dedat.
 11 Hunc tu, puella nubilis, praecave casum,
 12 exemplo et sorte facta cautior mea.

N_310 v.1 Coge pecus, formose Mycon, dum Sirius ardet,
 2 arenti sitiens dum Cane fervet humus.
 3 Illicis hic nigrae sacrum nemus : hic teget umbra
 4 una duos ; eadem proteget umbra pecus.

DE PASIPHAE

N_311 v.1 Pasiphae ad matrem saepe est conquesta mariti
 2 quod tam adeo magni mentula parva foret.
 3 Sic mater, precibus natae compulsa, priapum
 4 exsertum generi vix manu utraque capit.
 5 Subridens roseoque genas suffusa pudore
 6 exclamat : "Falso, filia, conquereris !"
 7 Illacrimans contra exceptit sic filia : "Penem
 8 majorem hoc asinus nonne bimestris habet ?"

AD ALPHONSUM AVALUM MARCHIONEM PISCARIAE ET VASTI

N_312 v.1 I, decus Italiae atque Avali domus inclyta proles,
 2 Caesaris auspiciis felix : i sidere dextro.
 3 Macte animo, macte ingenio et praestantibus ausis,
 4 Alphonse, et pro tutandis communibus aris,
 5 pro laribusque focusque, aeternos victor honores
 6 tecum age et aeterna devinctus tempora quercu
 7 Parthenope optatos referas de more triumphos.
 8 Laeta tibi niveis sese victoria pennis
 9 ostentat late et signis insidit Iberis,
 10 circum castra volans : certo tibi carmine Phoebus
 11 et faustum praedicat iter divosque secundos.
 12 Sic orsus, cadet ipse tua sub cuspide Parthus,
 13 Parthus atrox confisus equis et milite multo,
 14 bisque colorabit scelerato sanguine flavum
 15 Danubium : nec vittiferam vidisse Viennam,
 16 Pannoniae aut vellet fines transisse superbus.
 17 Pannoniique iterum madefient sanguine campi
 18 atque orbata suos plorabit Thessala tellus.
 19 Quali te amplexu excipiet tunc Caesar, et ille
 20 Caesaris egregius frater ! Tibi qualia Clemens
 21 dona feret ! Quo te plausu Romana juvenus,
 22 Quo te (LACUNE) et laurus innexa virentes.

N_313 v.1 Quo te dira fames auri inamabilis,
 2 quo te saeva rapit sitis
 3 tantum argenti avidum tamque pecuniae,
 4 virtutum immemorem et boni,
 5 quod solum cupiunt qui sapientiae
 6 insudant animis viri
 7 qui sese superis efficiunt pares ?
 8 Ah, ah, nonne vides uti
 9 fratres clara duos Parthenope tegat ?
 10 Horum praedia possides.
 11 [LACUNE]

AD AURIGAM SERR...M

N_314 v.1 Auriga, cordis dulce regimen mei,
 2 pudica quantum nollem, pulchra plusquam femina
 3 quam aut haec aut alia aut alia viderit aetas,
 4 quid montes colis horridos
 5 ubi Gratiae nullae, nulli lepores
 6 lustra perambulant diruta ?
 7 Amoenas Sarchiae vise jocosa ripas
 8 et tecum duce Veneres et Cupidines

9 et quantum Cypri lenium cachinnulorum
 10 alunt amoenis Gratiae myrtetis.
 11 Si id negas, quantum aprici hic vident colles
 12 fiet tenebrae, fiet lacrimarum vallis.

AD VIRGINEM LAURETI

N_315 v.1 Lauretum ut colis et caelum, pulcherrima Virgo,
 2 Lauretum et caelum te, pia Virgo, colit.

VOTUM CORNELII SALUNDIANI

N_316 v.1 Candidulum hunc dentem, primo sub flore juventae
 2 tonsoris vulsit quem modo dira manus,
 3 Benaci saliente unda Cornelius ortus
 4 dedicat, o noctis Cynthia diva potens :
 5 et rogat ut reliquos propiori numine serves,
 6 ne saevas iterum sentiat ille manus.

AD EAMDEM

N_317 v.1 Teia Venus, tibi sic dilectae ad moenia Mantus
 2 alludat patriis garrula Nympha modis ;
 3 sic tibi curvatis niteant mala aurea ramis,
 4 surgat et intonsa myrtea silva coma.
 5 Quem modo Margarite dias in luminis oras
 6 sidere felici, Marte parente, dedit,
 7 ridentem puerum dulce ad patris oscula serves
 8 et tenero foveas molliter in gremio
 9 paulatim, imperii donec maturus habenis
 10 et caput et fines temperet Eridani.

AD MARTIAM VENETAM

N_318 v.1 Tutiani permittite manu te, Martia, pingi :
 2 tam doctas facies postulat ista manus.
 3 Vendicat ille tui similes a morte secunda :
 4 subtrahit a rapidi temporis arbitrio.
 5 In tabula viridem servabis pulchra colorem,
 6 turpabit roseas nec tibi ruga genas.
 7 Deinde tuo vultu ventura juvena calebit,
 8 conspiciet nullam cum tibi canitiem.

EPITAPHIUM MARCI ANTONII TURRII

N_319 v.1 Turrius hic situs est. Illum hic posuere Camenae,
 2 et medicina sacro justa dedit tumulo :
 3 ille quidem nondum sex lustra peregerat, et jam
 4 arte senem medica vicerat Hippocratem.
 5 Ante annos scivisse nocet : nam praecoqua virtus
 6 persuasit morti ut crederet esse senem.

DE EODEM MORTUO

N_320 v.1 Pacatum pelagus, caelum sperate serenum,
2 agricolae et nautae : nam periit Boreas.

DE PARMA CAESARI DONATA

N_321 v.1 Munere Federici, gestamine Caesaris, arte
2 artificis triplex stat tibi, parma, decus.

CONTERNII TUMULUS

N_322 v.1 Conterni Verona ortu, Manto ipsa sepulcro,
2 manibus est felix regia caelicolum.

DE EODEM

N_323 v.1 Conterni, aeternum dormis. Te luget ademptum
2 Mincius atque Athesis : hic patria, hic tumulus.

DE EODEM

N_324 v.1 Hernando nullum invenies de more sepulchrum
2 nec sculpta in duro marmore verba leges.
3 Hic ubi tot gestorum ingens consurgit acervus,
4 ipse ipso ornavit carmine se et tumulo.

CANOPO DEDICAT LYRAM ARIONIS

N_325 v.1 Magne Canope, lyram pelago qua vectus Arion
2 tergore delphini est - numina salsa ferunt -
3 quam pater ipse tuos olim servarat in usus,
4 deberique tibi noverat Oceanus :
5 hac resonante, choros ducent placido aequore Nymphae,
6 et delphin veteris conscius officii ;
7 adferet assurgens famosa coralia Nereus,
8 Neptunusque salax ostrea mille feret :
9 hanc igitur tibi habe ; tali tu munere dignus,
10 nam caelo fixam fabula fingit anus.
11 Felix nauta, sono sistes vaga flumina dulci
12 et cantu iratas pacificabis aquas.
13 Sic tibi Pactolus gemmas innectat et aurum,
14 ut possint meritas circumiisse comas.

AD ALOYSIUM CALINUM

N_326 v.1 Caline optime, candide et diserte,
2 hoc te unum rogo per deos deasque,
3 per sodalicium diu inchoatum,
4 extrema nisi morte finiendum :
5 persuade genero meo, mi amato
6 aequae ac filioli meique ocelli,
7 si quicquam miseret mei suique,
8 si caram ille habet utriusque vitam,
9 Romana abstineat profectione
10 neve urbem petat his malis diebus,

11 iniquo aere, saeviente bruma.
 12 Mutet propositum : tibi acquiescat.
 13 Dic incommoda quae pati viator
 14 suevit, dum patrios lares relinquit.
 15 Dic foeda hospitia atque araneosa,
 16 exhalantia putidam mephitim,
 17 lectos vermiculis scaturientes,
 18 lichena meretriculas peresas,
 19 latronum insidias periculosas.
 20 Flexus commemora, simul reflexus
 21 ascensusque viarum ab imo in altum
 22 descensusque viarum ab alto in imum,
 23 imbres assiduos, Notos furentes ;
 24 durata glacie, nive ac pruina
 25 quam sit Alpium iter laboriosum.
 26 Proponas penetrabile et scelestum
 27 frigus, quod pote plurimum nocere
 28 corpori ingenuo atque delicato
 29 et pedi et manui excitare morbos
 30 ni quisquam deus advocatus adsit.
 31 Proponas lacrimas piaae parentis,
 32 uxoris tenerae graves querelas,
 33 voces denique liberorum acutas.
 34 Nec suspira Brixiae gementis
 35 nec desiderium tuum tacebis.
 36 Sed quid connumerando tot fatigor ?
 37 Numquid Pallada sus potest docere ?
 38 Omnium tu animos moves et idem
 39 frenas, ut lubet, eloquente lingua.

AD NICOLAUM FRANCUM

N_327 v.1 Dum te, France, juvat Tusca formare papyro
 2 quicquid in humano pectore versat Amor,
 3 vives ipse diu Latiis tam clarus in oris
 4 quamdiu in humano pectore vivet Amor.

RAPHAELIS URBINATIS PICTORIS EPITAPHIUM

N_328 v.1 Pictor eram ; nomen Raphael mi, patria cultum
 2 Urbinum, alma parens Roma fuit tumulus.

DE EODEM

N_329 v.1 Naturam potui solus qui vincere pictor,
 2 Naturae fati cedere cogor ope.

DE DUOBUS AMANTIBUS INTERFECTIS

N_330 v.1 Una manus vos, una dies, eadem abstulit hora ;
 2 unus item tumulus corpora juncta tegit.
 3 At non saeva manus potuit neque perdere Parca,
 4 concordem stabili junctae in amore animae :
 5 nam vos implicitos et nexos brachia collo
 6 errantes tacita cernere nocte datur.
 7 Indicium immortale animis praebetis, amantes,
 8 quodque etiam verus morte perennat amor.

AD STEPHANUM LAUREUM AMARSFORDIENSEM UT AUFERAT MARTIANUM CAPELLAM

N_331 v.1 Hanc tu ni procul auferas capellam,
 2 ni, Laurens, abigas febriculosam,
 3 insulsam, illepidam atque fascinatam,
 4 omnem tu inficies gregem Latinum
 5 et pastor Sadoletus oderit te.
 6 Nam nec turgidulas refert papillas
 7 nec mulctralia lacte caseove
 8 fiscellas replet. Odit hanc Menalcas ;
 9 hanc pastor fugit optimus Britannus
 10 peritique boni gregum magistri
 11 Bembus Flaminiusque Romulusque
 12 Frastorusque suis repellit hortis.
 13 Quae frugi neque bella nec venusta est ;
 14 nec carpit cytisum aut thymum virentem,
 15 sed pascit lolium et malam cicutam,
 16 decerpens aconita stymphalimque
 17 et dumos veteres et obsoletos ;
 18 vastat morsibus herbulas petulcis,
 19 dissipans violaria et roseta ;
 20 insultat quoque floribus tenellis
 21 et rorem pede proterit marinum ;
 22 vineta, arbuta rodit atque olivas.
 23 Infelix loca saltuosa quaerit :
 24 montium avia lustra pervagatur ;
 25 speluncas petit, horridos recessus,
 26 ignotasque domos ferarum agrestum
 27 cursu saepe fatigat incitato ;
 28 numquam non agitur furente asilo,
 29 dum pendet scopulis periculosis.
 30 Spernit flumina limpidosque fontes :
 31 limo sordidulas bibit paludes
 32 olentesque gravem lacus mephitim.
 33 Infecta est scabie, atque pestilentes
 34 abscessus papulaeque hiant edaces :
 35 huic artus populatur ignis ardens.
 36 Illam in Quintiani aut Bononiensis
 37 agas pascua et Impii recessus.
 38 Non haec sacrificanda belua Baccho :
 39 Orco est victima foeda dedicanda,
 40 infelicibus enecanda cultris,
 41 ne morbos referant oves Latinae
 42 aut contagia Romuli capellae.

DE EODEM

N_332 v.1 Federico hinc abeunte, in terris optimus est rex
 2 et certum caelo Mantua numen habet.

DE EODEM

N_333 v.1 Quid reliquum esse potest spei Italiae
 2 percipiendae messis, si immatura
 3 mors omnem segetem gloriae suae
 4 rpto Federico duce Mantuae resecauit ?

DE EODEM

N_334 v.1 Viator, ne sis nescius nefas esse
 2 Federici ducis Mantuae optimi mortem non lacrimari,
 3 in quo populi Mantuani vita salusque
 4 et spes Italiae erat nixa.

AD HANNIBALEM CARUM ROMANUM

N_335 v.1 Diserte Care, Romuli nepos digne,
 2 amate Care, carior mihi vita
 3 aut si quid esse carius potest vita,
 4 te fama quamvis sola fecerit notum,
 5 ut debeo, semper te amore sectabor.
 6 Semper te honore debito colam, Care,
 7 donec nitente sole perfruar vivus,
 8 post fata vel si mortuis inest sensus,
 9 tuasque basiabo epistolas laetus ;
 10 sinu fovebo litteras tuas dulces
 11 doctasve chartas saecla longa victuras.
 12 Nam sive Etruscum carmen ad modos ducis
 13 plectri Latini, seu levem induis soccum,
 14 sive ambulas passu gravi cothurnatus,
 15 dum te juvat referre heri optimi laudes
 16 Farnesii incltyti, sago ac toga clari,
 17 tibi ad fluenta Tybridis favent Nymphae,
 18 tibi ad paternas afferunt domos flores
 19 queis Roma cingat aureos tuos crines.
 20 Hinc otiosus nobili otio gaudes ;
 21 hinc te canora fama ad ardua attollit
 22 convexa caeli, et ingeni tui fetus
 23 Thulen ad usque et ultimas petunt oras
 24 maris Britannii : in ora confluunt docta
 25 manusque cultas, nec superbia turges -
 26 ut fit - proterva. Ut arrogas parum scriptis
 27 tuis, modestus ! Ut nihil tibi arrides !
 28 O me beatum, qua beatior nemo ;
 29 ter me beatum, si tua frui possim
 30 consuetudine et videre praesentem
 31 et alloqui ! Tunc ipse regios cultus
 32 miro nec optem maximi Jovis nectar.

AD DIVUM ANTONIUM DE PADUA HYMNUS

N_336 v.1 Splendor, Antoni, Paduae atque Hiberi
 2 nominis, quantum tibi debeo uni,
 3 qui pias voces gemitusque puro
 4 corde profectos
 5 Ad Deum defers, miserumque tantis
 6 fluctibus, me tot miserum procellis
 7 sublevas, qui me mihi restitutum
 8 et bona partim
 9 reddis ! Haec olim - horribile, insuetum ! -
 10 Surpuit fracta malus hostis arca,
 11 nititur dum me patria atque avito
 12 pellere regno
 13 fraudibus fictis. Ego te perenni
 14 laude, te castis celebrabo votis

15 et tuas supplex venerabor aras,
 16 templaque visam
 17 quae tibi urbs olim Patavi locavit,
 18 sis quod erranti populo advocatus,
 19 quod Dei justum amoveas furorem et
 20 fulmina tollas.
 21 Ipse non posthac metuam latentes
 22 hostium fraudes nec operta bella ;
 23 ipse non posthac, duce te, timebo
 24 astra nefanda
 25 nec trucem linguae rabiem dolosae :
 26 Mortis at supra caput imminentis
 27 horridam falcem et minitantis Orci
 28 tela refringam.

DE VICTORIA MARCHIONISSA PISCARIAE

N_337 v.1 Haec Victoria, nostra qua superbit
 2 quaque huic longe alia invidebit aetas.

AD ALBINUM. ODE

N_338 v.1 Candide, nec nostris, Albine, tacebere chartis :
 2 si quidquam poterit mea Musa,
 3 ipse tuum Latias diffundam nomen in oras,
 4 qua saltem Eridanus secat arva
 5 quaque fluit resonans per saxa immania Sarca
 6 Benaci exonerandus in aequor,
 7 quamvis te tua non nequeat celebrare papyrus,
 8 alterius non indiga laudis :
 9 nam sive historiam Graia Latiave Minerva
 10 aut numeris pedibusve solutis
 11 texere amas, meritos heroas tempore nullo
 12 laudibus aeternas morituris
 13 et tua perpetuae commendas nomina famae,
 14 dum bene vertis et urbe Latina
 15 auctores donas Graecos jussu Herculis almi,
 16 qui totum meritis replet orbem :
 17 quodque viro proprium magis est, vitae integer omni
 18 parte, animum virtutibus ornas.
 19 Ut scelus omne fugas, sensum ut ratione coerces ;
 20 ut probitas tibi fronte renidet !
 21 Principis hinc animum efformas florentibus annis
 22 ante oculos proponis honestum ;
 23 ostendis callem virtutis et aspera planas ;
 24 nil intentatum arte relinquis,
 25 dejiciat ne animum et luxu languescat inert
 26 aut tantis desistat ab orsis,
 27 instituisque sequi vestigia prisca parentum
 28 qui caelo aequavere triumphos.
 29 Ultiores scelerum esse deos et Tartara narras,
 30 immortalem animam asseris esse :
 31 justitiae ut mixta populos pietate gubernet,
 32 cum firmata advenerit aetas ;
 33 esse doces pulchrum caput objectare periclis,
 34 cum tempus ratiove requirit.
 35 Non secus instituit sapiens centaurus Achillem
 36 quem toties fugiens timuit Phryx ;
 37 atque ita Alexandrum sophiae perduxit in hortos,

38 dum naturae arcana resolvit,
 39 magnus Aristoteles, quo praeceptore superbus
 40 invictum nihil orbe reliquit.
 41 Olim debebit tibi Mantua, clarus honores
 42 quum referet Franciscus avitos,
 43 et laudis patriae et virtutum accensus amore
 44 se factis attollet Olympo :
 45 hac etiam Italiae tellus spe erecta futuros
 46 sperat laeta videre triumphos,
 47 quum spolia ampla feret templisque affixa tropaea
 48 Gonsagidum domus alta videbit,
 49 aut erepta Asiae Maumethica signa tyranno,
 50 obruet Oceanoque carinas.
 51 Tunc tu, laetitia perfusus pectora, quantum
 52 te magno jactabis alumno !

AD STEPHANUM AMARFORDIENSEM MEDICUM

N_339 v.1 Dum febres varias gravesque morbos
 2 et suspiria luctuosa solvis,
 3 et queis venter aqua tumet nitenti :
 4 dum dira ulcera Syphili coerces,
 5 prima semina pestium recidens,
 6 virus serpere nec sinis malignum,
 7 praesentemque tueris et salutem
 8 tuto restituis diu cubanti,
 9 nonne inter medicos probe eruditos
 10 et debes, Stephane, et potes referri ?
 11 Nonne hoc nomine dignus et corona es ?

DE AMPLISSIMO HERCULE GONSAGA CARDINALI MANTUANO. ODE

N_340 v.1 "Herculem" dicat chorus omnis ; omnis
 2 laudet Alciden chorus, et juvenus
 3 integra applaudat puerique cantent
 4 ordine longo,
 5 pulchra quos Manto mediis ab undis
 6 urbe praecincta fovet educatque :
 7 consonet plausu nemus et resultent
 8 litora Minci.
 9 Tuque - nam divum atque hominum recenses
 10 barbito aeternans monumenta - Clio,
 11 linque Parnasi nemus et superbi
 12 verticis antrum.
 13 Collibus paulum, dea, Caprianae
 14 siste, ubi aestivum recreat calorem
 15 ventus, et leni crepitans susurro
 16 sibilat alnis.
 17 Maximi Alcidae cane tam beatas
 18 ingeni vires animique dotes ;
 19 dic ut ornarit simulacra, quondam
 20 pulvere taetra.
 21 Macte virtute, invidiaeque victor :
 22 surgit, attollens caput inter astra,
 23 arbor ut propter fluvium educata
 24 divum in honore,
 25 dum nihil ducis propius tibi esse
 26 quam decus priscum renovare templis,
 27 quam laboranti auxilium referre

28 religioni !
 29 Herculis nomen veneratus, alto
 30 vertice assurgat Padus amnium rex,
 31 populo albenti salicisque glauca
 32 fronde revinctus.
 33 Ille diis acceptus, honore sacro
 34 dignus adscribi numero deorum,
 35 aureis saeclum et roseum galerum
 36 moribus ornat.
 37 Herculis magni auspiciis videre est
 38 omne queis fas atque nefas licebat,
 39 nunc refrenatos, vitio interempto,
 40 cumbere honesto.
 41 Nunc pium sanctumque suopte regno
 42 imperat ; caelum, hoc dominante, terris
 43 invidet : nam Astraea vocante caelum
 44 Hercule liquit.
 45 Nunc reflorescunt facie decenti
 46 gratiae et jam plus solito renidet
 47 aether ; Ocnaea spatiat urbe
 48 candida virtus.
 49 Ut Canis campos sitiens hiulcat
 50 quum nemus raucae resonant cicadae,
 51 herba languescit pluvio Jovique
 52 supplicat arbos :
 53 forte si caelo placidus cadat ros,
 54 frigeransve aura aut Zephyri salubres
 55 halitus perflent, redit humor, omnis
 56 terra virescit.

AD EUNDEM

N_341 v.1 Invictus quondam Alcides, Tirynthius heros,
 2 monstra pererrato sustulit orbe fera :
 3 unde illi grata et supplex post fata vetustas
 4 templa, aras, statuas constituere deo.
 5 Macte animo, Alcide, Gonsagae clara propago !
 6 Herculis invicti nomen et acta refers,
 7 et majora facis : nam justae verbere clavae
 8 monstra necas vitiumque et scelus omne fugas ;
 9 tu renovas faciem et lacrimas detergis, amatae
 10 tu libertatem restituis patriae ;
 11 tu vastatores urbis sub Tartara trudis,
 12 praedonem gaudes perdomuisse bovem.
 13 Quid tibi, quid tali pro munere Mantua reddet ?
 14 Praesens et vivus numinis instar eris.

IN GALLUM

N_342 v.1 Galle, vides ut te circumstet Martius horror :
 2 quo volites tutus non locus ullus adest.
 3 Si terris fugies, sunt hostis signa Britanni ;
 4 si pelago, Hispanus nauta secat maria ;
 5 aera si carpes, volucrum regina fugabit ;
 6 anguis hiat, Stygios si cupis ire lacus ;
 7 si caelum, ingressum caeli Petrus ipse negabit :
 8 naam veteris cantus stat memor usque tui.
 9 Galle, igitur te subde Aquilae, quae parcere prompta est :
 10 tunc tibi parta salus, tunc tibi tuta quies.

AD VARGNANUM

N_343 v.1 Non possum non mirari, Vargnane, quod inter
 2 tot fluctus curasque animi quae pectora versant,
 3 quaeque solent studiis distractam avertere mentem,
 4 continue quicquam mediteris quod tibi famam
 5 augeat magis atque magis caeloque reponat,
 6 quodque alios vita functos, ne saecula futura
 7 obscurant, mandes illustri vivere charta,
 8 dum revocas tumulo et revocatos mittis ad astra :
 9 nam immo Reginae quales - ego testis - honores
 10 ore tonas pleno et, funebrem indutus amictum,
 11 Germanos inter proceres ad templa deorum
 12 illam non pateris morti parere secundae !
 13 Madruti interea nomen resonare Lomassi
 14 et silvas saltusque doces rupesque sonoras,
 15 Misonisque jubes summas ediscere quercus.
 16 Icta repercussis Madruti nomina silvis
 17 antra sonant nemorumque jocosa resultat imago :
 18 responsant valles nec non Flavaeaia rura
 19 et Lunthi juga nimborum, qua voce Cayanus
 20 excitus vates patrio fert carmina colle.
 21 Quid referam ut nexus naturae, ut denique motus
 22 scruteris varios solers : informis ut ipsa
 23 materies miro formae gravidetur amore,
 24 ut nonnulla etiam discordia semina rerum
 25 dissideant, nonnulla aeterno foedere nexa,
 26 utque movens dare sit quod non moveatur ab ullo ?
 27 Non ideo cessas duros exscalpere sensus
 28 divinorum operum : nam Dalli litora propter,
 29 illicis antiquae tremula dejectus in umbra,
 30 cum solis fervet radiis ardentibus aestas,
 31 dum ludunt aliive pila cyathosve frequentant
 32 discincti, aut celebrant convivium lauta nepotes,
 33 ludum ludentes ingratum ignobilis oti,
 34 tu studio allectus, priscorum scripta parentum
 35 evolvis quos religio primaeva sacra vitavit :
 36 originem magnum et divi monumenta Cyrilli.
 37 Quin etiam medicamque artem atque oracula calles
 38 Hippocratis : quod, ni patrum praecepta vetarent,
 39 congrua sufficeres aegre medicamina genti.
 40 Idcirco me cura tui premit et dolor angit,
 41 accipio quod te nostris discedere terris
 42 decrevisse animo. Heu facient quid flumina Dalli
 43 expiscata tibi toties : quid templa Lomassi
 44 aere novata tuo et cumulata altaria sacris
 45 muneribus, nunc tersa, olim squallentia fumo ?
 46 Quid simulacra relecta, olim obsita pulvere taetro ?
 47 Desine : per Musas, per Phoebi sacra precamur,
 48 quarum signa geris magno inflammatus amore,
 49 desine tantum animo scelus evolvisse nefandum.
 50 Quin tu quin potius, Madruti, clara propago
 51 Musarum, tu siste illum, et miseratus egenos
 52 orbatos sine Vargnane, ut sine floribus arva,
 53 ut sine sole dies, ut sunt sine sidere noctes,
 54 ne permittas alios absentem quaerere soles
 55 Vargnanum, longe aut alios penetrare recessus.
 56 Sic tua perpetuis succrescat honoribus aetas ;
 57 sic virtute tua emerito post munera tanta

58 functa tibi, post tot curas animique labores,
59 purpureo tandem felix potiare galero.

EPITHAPHIUM ODERICI PATRIS

N_344 v.1 Si mors saeva nequit probitatem exstinguere, quis te
2 victurum aeterno tempore, Odrice, neget ?

AD PHYLLIDEM

N_345 v.1 Secluso, mea Phylli, herbas dum seligis horto
2 lacteaeque aspicio brachia, dispereo.
3 Dum choreas ducis tremulas succussa papillas,
4 exclamo : "Merior : Phylli, reconde sinum !"
5 Sive pedes video fontis dum te abluis unda,
6 ne videam avertor, sed prius excrucior.
7 Si tibi inauratos spargit levis aura capillos,
8 sive hoc fit casu sive fit arte, cado.
9 In me si torques geminos, vaga sidera, ocellos,
10 per labefacta fluit frigidus ossa tremor.
11 Quidquid agis, mea mors : tamen - hoc quis credere posset ? -
12 Mors haec vitalis vitaque letifera est.

AD TRES MAGOS REGES PRECES

N_346 v.1 Fortunati olim reges, praesentia nobis
2 numina, defunctos quos magna Colonia vita,
3 externo pelago advectos atque orbe remoto
4 Aethiopum, tenet et templis veneratur et aris
5 et votis vocat et meritos inducit honores :
6 salvete, heroes ducti felicibus astris,
7 delecti heroes, ad munera tanta vocati,
8 queis licuit regem venerari hominemque deumque
9 nascentem, positum stabulis et paupere tecto !
10 Munera vos auri et thesauris tura reclusis,
11 et myrrhae lacrimas proli fudistis olentes,
12 ditem Arabum messem et patriae felicis honores,
13 praecedente astro, nec non ducentibus et diis.
14 Moxque, ubi vos monuere trucis fugere ora tyranni
15 somnia, digressi patrias remeastis ad oras.
16 Dum Rheni ignotas urbes Rhenumque bicornem
17 cogor et errando diversas quaerere gentes,
18 injustis odiis impulsus et arte malorum,
19 frigora per solesque breves hiememque nivosam -
20 longum iter ! - Ut potiar praesenti Caesaris aure,
21 vos praestate vias faciles facilesque recursus,
22 optatam ut patriam sospes natosque revisam
23 post longum errorem atque incommoda tanta viarum.
24 Sic vobis semper referat bene olentia sarta
25 incendatque novos antiqua Colonia odores.

IN LAUDEM LAURUS. ODE SOLUTA AD LAUREUM AMARFORDIENSEM

N_347 v.1 Diceris quoque tu meis,
2 Laurus, fidibus et chely
3 suavisonante, si Phoebus ipse
4 tantum inspirat enthei

5 spiritus mihi, ut in honorem ferar
 6 olim optatae virginis.
 7 Namque ille exarsit inti-
 8 -mis praecordiis, dum sinus
 9 candidos nudata ludensque
 10 inter aequalium choros
 11 cothurnoque exerta levi
 12 marmoreos pedes lavares
 13 ad ripam patrii fluminis sonoram,
 14 perfundens socias amabiles
 15 urnula argentea lymphis.
 16 Tunc ut ille vidit amens te,
 17 oblitus arcum sagittiferamque pharetram,
 18 queis victor formidolosus
 19 de serpente triumpharat horrifico,
 20 optavit te ardens, irruit ardens
 21 tuum in amplexum. At tu reflectis caput
 22 exterrita, ut viso mollis agna lupo.
 23 "Quamprimum socia eris mihi - dixit -
 24 currus caelivagi
 25 tu luciferos reges equos,
 26 et advehes terris diem ;
 27 tu roscidum Orientem mecum
 28 lustrabis, et aureum
 29 perambulabis Signiferum.
 30 Tu mecum resonantia magni
 31 Oceani antra subibis,
 32 faciesque mecum regna
 33 infera nocte splendida.
 34 Tibi invidebit Aurora rubens,
 35 dum surget croceo e toro
 36 Tithoni tremuli senis,
 37 si me tuo digneris amore".
 38 Sed spresti ingratham vocem, freti
 39 surdior Ionii procellis,
 40 deliberata prius mori
 41 quam quis tibi vel deorum impudens
 42 vel mortalium arrogans
 43 zonam solveret virgineam.
 44 Tandem pudica profers comas
 45 odoras, praemium pudoris,
 46 praemium casti pectoris : his baccas
 47 aegrorum in usum mortalium educas.
 48 Tu sarta contextis vatium in
 49 regumque victorum caput,
 50 duplici honore decora.
 51 Tu redimita frontem honestam
 52 semper viridi cortice, intacta,
 53 nec gelu aut hiemis timens,
 54 nullis demorsa pruinis,
 55 neque saevis Aquilonibus
 56 aethere frigido deproeliantibus,
 57 hiulca admittis caelifluos imbres,
 58 Jovisque irati fulmina
 59 contemnis, solum amanti tuo obnoxia,
 60 quod te firmat, calore
 61 quod te vivifico fovet : tuas
 62 misertus vices neque suos
 63 oblitus veteres ignes,
 64 te prospectat ab alto
 65 aethere omnividens. O quis me tua

66 locet sub umbra, ut expers
 67 curarum excipiam placidum soporem ?
 68 O qui meum caput tua
 69 innectat fronde decorum ?
 70 Tunc ipse nec curem coronas
 71 regum nec silvas Hesperidum beatas.

DE ILLUSTRISSIMIS PRINCIPIBUS GONSAGIS

N_348 v.1 Ni super Alcides nobis Gonsaga fuisset
 2 post matris divi fratris et interitum,
 3 et ni Federici soboles tam clara niteret,
 4 quaeque omni digna est Margarite imperio,
 5 Dixissem : "Deserta vale jam, Mantua, postquam
 6 femineum atque virile omne decus periit."

DE SOBOLE SERENISSIMI ROMANORUM REGIS

N_349 v.1 Fernandi sobolem divam dum conspicit Oenus :
 2 "Invideas - dixit - Tybri superbe, mihi.
 3 Hic septem foveo Charites, tu Cyprida solam ;
 4 hic tibi quod quondam floruit Imperium est."

AD IOANNEM FRUTICENUM

N_350 v.1 Invitant, Fruticene, Caprianae
 2 te colles humiles, superbientes
 3 Baccho et Pallade ; te morantur inter
 4 frondosum faciles nemus Napaeae,
 5 ornatae teneris caput corymbis,
 6 propter fontis originem Hydroelli,
 7 quem grata tegit alta quercus umbra
 8 et ludens Dryadum chorus frequentat ;
 9 te querceta vocant et aesculeta.
 10 Hic late aspicias agros patentem ;
 11 suppostam in specula videbis alta
 12 Veronam ; modo Brixiae superbam
 13 turrim atque irriguae Pado Cremonae ;
 14 hinc se Mantua pulchra dat videndam.
 15 Ut laetus generosa vina sugges,
 16 nectare ambrosiaque dulciora !
 17 Hic postquam fueris diu moratus,
 18 Benacum, Oceano aemulum, petemus,
 19 surgentem fremitu lacum marino.
 20 Nos Pischeria, nos Disentianum
 21 phaselo celeri vehet per undas,
 22 puppi cedere nescio phaselo,
 23 seu remis opus aut volare velis.
 24 Mox cernes patriam Catullianam,
 25 piscosae prope Sirmionis arcem,
 26 speluncasque cavas scaturientes
 27 centum fontibus undecumque sparsis,
 28 sculpta et marmora litteris vetustis
 29 secundi monumenta clara Plini.
 30 Hinc Gardam appropinquabimus, virente
 31 lauro conspicuam et comante myrto,
 32 et Turrim celebrem Domitii ortu.
 33 Occurret Trimilo fugax, oliva

34 pallenti caput horridum revinctus,
 35 nec custos aberit superba montis
 36 saxo prodita Melsine feraci.
 37 Ut ripa ulteriore pervagantes
 38 admirabimur aetheri propinqua
 39 castella atque habitata saxa mergis,
 40 quae nomen veteris tenent Minervae,
 41 et saxa assiduo peresa fluctu !
 42 Insula in scopulo sedens amoeno
 43 quam nos excipiet labore fessos
 44 ardentique calore dissipatos !
 45 Saloi in medias feremur undas,
 46 Corneli patriam mei diserti.
 47 Jam culta oppida Tusculana priscis
 48 materni et loca aprica erit videre
 49 Trettique aequora culta carpioni :
 50 aurum carpere fertur ille piscis,
 51 quem nec stagna liquentia aut uterque
 52 Neptunus gremio tenet profundo.
 53 Tandem Bolliacum, meo Bosello
 54 clarum, optataque litora appetemus
 55 optato quoque lectulo fruemur.
 56 Hic pomaria se offerent et horti,
 57 culti horti, Hesperidum beatiores,
 58 Phaeaces quibus invidere possint.
 59 Tunc quae grandia poma, liberalis,
 60 quot limonia mala, quot Bosellus
 61 det citros modo capsulis repostas !
 62 Quod si olim in patriam feras, colendae
 63 arbori studiosus inserasque,
 64 inscribas volo carmen hoc aperte
 65 fragranti folioque trunculoque,
 66 ut, quum crescet et arbor, et Boselli
 67 crescat nomen in altiore ramo,
 68 crescens in monumenta posterorum :
 69 "Haec sunt citria, sunt Boselliana !"

DE HYALE

N_351 v.1 Alba genas Hyale tota aspectabilis urbe est :
 2 illa eadem roseo picta colore nitet.
 3 Quid, quod et aureolos ostentat fronte capillos,
 4 cum sit anus multaque obsita canitie ?
 5 Nil mirum : est cojunx Hyale pictoris, et omnes,
 6 quum vult, illa domi pixidas evacuat.
 7 Non tamen huic facile est rugam occultare senilem,
 8 pictoris quoniam non facit ista color.

AD STEPHANU, AMARFORDIENSEM MEDICUM

N_352 v.1 Amantissime quot fuere, quot sunt,
 2 quot Germania protulit beata
 3 altrix, terra eadem ferax virorum,
 4 non possum te ego non amare, amice,
 5 non bene excupere et bene ominari,
 6 amplecti simul et deosculari :
 7 nam vitam tibi debeo secundam,
 8 quod faves nimium meis Camenis,
 9 adjutor studiorum, amorum, honorum,

10 curarum quoque particeps mearum.
 11 Quod si quando petes tuos penates -
 12 ut speras - patriam et tuam revises,
 13 Emdae si dabitur videre flumen,
 14 tu me pectore conditum tenebis,
 15 Emdae ad litora saepe me vocabis,
 16 dum paulum a medica vacabis arte ;
 17 inter pocula, dum calebit aestas,
 18 dum Rheni generosa vina sugges,
 19 me lususque meos sinu fovebis
 20 absentemque videberis videre,
 21 curasque alloquiis tuis levare,
 22 Archii memor et pii poetae,
 23 si tantum licet arrogare nomen.

IN PAEDAGOGOS AD CAMILLAM CAPILUPUM

N_353 v.1 Paedagoguli, abite : abite, pestes,
 2 istinc ferte pedem, invenusti, inepti,
 3 invisi pueris bonis malisque ;
 4 abite in miseram crucem, exsecrati,
 5 saeculi perniciēsque litterarum :
 6 Lymprandi Metriique Fusiique,
 7 Prandini, Ochinari atque Juliani,
 8 Scopae Boreaeque et Rutiliani !
 9 Quid vos, quid juvat hinc et inde nomen
 10 heroum lacerare, blatterones ?
 11 Qui vos vel minimo asse venditarent,
 12 immo nec minimo asse venditarent :
 13 venales neque enim estis, impudici,
 14 digni nec minima aestimatione,
 15 viles, queis neque campus est neque hortus !
 16 Jam per compita, per fora et theatra,
 17 scisso palliolo togaque trita,
 18 pexi candidulam comam irretortam -
 19 ut vester solet esse mos - per urbes
 20 grave inceditis, ore gannientes
 21 foedo nescio quid rude atque ineptum.
 22 Bembum Flaminiusque Romulumque
 23 Frastorumque meum, undequaque doctos,
 24 fucos dicitis esse litterarum ;
 25 solum Quintianum atque Martianum
 26 Capellam omnibus esse praeferendos ?
 27 Pape, o iudicium omnibus probatum !
 28 Pape, o iudicium acre et aestimandum !
 29 Quid, quod dicitis esse rhetores vos,
 30 solos dicitis esse vos poetas ?
 31 Et nunc audio quod meum Catullum
 32 ausi incessere morsibus caninis
 33 estis vos, temerarii cynaedi.
 34 Quod sint carmina inusitata doctis,
 35 quod fragosa ruant, cadant, ferantur
 36 instar praecipitis ruentis unde
 37 altis montibus atque saltuosis :
 38 illa incomposita esse iudicatis,
 39 vestris auribus illa dissonare ?
 40 Non haec dentibus esca digna vestris ;
 41 non has olfaciunt rosas aselli.
 42 Proh dii, progenies male ominata !
 43 Fertis toxica quanta mostruosi,

44 implentes pueros malis venenis !
 45 Fertis quanta aconita, quanta nec fert
 46 tellus Tessala Bosphorive pontus !
 47 Quis tandem manet exitus scelestos ?
 48 Vos Ixionas esse, Sisyphosque
 49 omnes crediderim, et magis nefandos ;
 50 poena Ixionis esse Sisyphique
 51 dignos crediderim, atque saeviore.
 52 Ergo insurge tuis, Camille, iambis,
 53 doctum qui numeris refert Catullum ;
 54 insurge hendecasyllabis trecentis :
 55 illos exagita ad necem crucemque,
 56 labe omni scelerum omnium inquinatos ;
 57 quam non Eridani unda Minciive,
 58 nec quanta est queat abluisse Thetis.

AD RUINAS ROMANAS

N_354 v.1 Excelsi colles Urbis sacraeque ruinae,
 2 queis Romae nomen vix tenuisse datum est,
 3 heu quas reliquias, quae corpora clara parentum
 4 claudit et veterum quae monumenta virum !
 5 Vosque triumphales, procerum decora alta, columnae,
 6 jam vestra in cineres gloria versa jacet ;
 7 vester honos vili jamdudum fabula vulgo est
 8 et densa antiquum contegit umbra decus.
 9 Idcirco, si tempus edax opera omnia solvit,
 10 aetas si rabido singula dente rapit,
 11 hos etiam nostros spero finire dolores :
 12 hisque dabunt curis tempora longa modum.

EPITHAPHIUM BOSELLI SENIS

N_355 v.1 Attenuat curva dum citros falce Bosellus
 2 et resecat patriis luxuriam arboribus,
 3 invidit mors saeva : "Senex bone, falx mea - dixit -
 4 promptior", atque probum sustulit orbe senem.
 5 Nunc citri arescunt, pereunt limonia poma :
 6 Benacus lacrimis hoc obitu auget aquas.

DE ARONE MUSICO

N_356 v.1 Vivat Aron : saeclo sua virga refloret omni,
 2 per quem, obscura olim, musica nunc rutilat.
 3 Ergo digna feret tantorum dona laborum :
 4 praemia quis tanto digna neget capiti ?
 5 Vos vivum, vates, statua et decorate corona ;
 6 post obitum sidus, dii, facite esse novum.

AD POSTHUMUM COLLATINUM EPISTOLA

N_357 v.1 Posthume, forte tibi nec Phoebus ingrata dedissem
 2 munera : sollicitum sed me Pons detinet Aeni,
 3 mobilis autumnus atque hiemis sub tempus aquosae.
 4 Atque ita sors studiis me deturbavit honestis
 5 Musarum ut nequeam dulces decerpere fructus,
 6 invidiae stimulis odiisque impulsa malignis.

7 Quod te ne aerumnae lateant quibus angor, et illae
 8 quae mentem afflictant curae penitusque refringunt,
 9 accipe sortem animo indignam miseratus amici.
 10 Ludere et assueti mecum discumbere mensa -
 11 commodius possent ut opertas nectere fraudes -
 12 multa mihi rapuit bona Vilius atque sequaces
 13 sanguine conjuncti, infidum genus. Et, superum rex,
 14 talia ferre potes ; nec, sol, tua lumina condis ?
 15 Quisnam parietibusve suis laribusve domove
 16 tutus erit, scelus hoc ultrix nisi poena sequatur ?
 17 Torquibus, argento, gemmis auroque potiti,
 18 instar praedonum qui alienis rebus anhelant,
 19 quaeque satis fuerat rara et pretiosa supellex
 20 contrectare ausi et proprios convertere in usus,
 21 humanas contra leges divinaque jussa ;
 22 quin improvisos nec quicquam tale timentes -
 23 dum ficto igne ferunt mendacia regis ad aures -
 24 unius ob dictum perjuri et forte coacti,
 25 Archensi ex arce et nido ejecere paterno,
 26 qui fuit in quovis semper discrimine belli
 27 et rerum et nostrae statio tutissima vitae,
 28 in deploratis semper spes maxima rebus.
 29 Quodque magis torquet, gravius quod vulnus acerbat -
 30 nos nisi quis superum innocuos tutatus ab alto
 31 adforet - ah, miseris nox illa extrema fuisset
 32 fratribus ; ah, natos eadem impia fata tulissent :
 33 essent orbatu jucunda luce nepotes !
 34 Quid Scythia, quid potuere Thraces crudelius umquam
 35 moliri, aut nostro foedati sanguine Parthi ?
 36 Angulus Italiae non est qui nesciat atrox
 37 id facinus : jam jam Germania norit et Hister,
 38 norit vitifero pulcherrima colle Vienna,
 39 Noricaque et Rhaetis regio subjecta nivosis.
 40 Audiet id Caesar, pelagi qui classe parata
 41 sulcat iter Ligurum et portu jam solvit Ibero.
 42 Denique notescet Bactris, notescet et Indis,
 43 scripta mihi ut dudum tanto evigilata labore
 44 in praedam data sint nebulonibus et sycophantis,
 45 quae forsam poterant plus uni tradere saeclo
 46 Gonsagidum heroes, propiusque attollere caelo
 47 Federicum, Alciden Ferdinandumque, pares diis
 48 virtute atque animo : mihi si promittere tantum,
 49 Phoebe, licet, teneris colui quem semper ab annis.
 50 Quod nisi Romani probitas genuinaque regis
 51 justitia, in quo omnis residet spes nostra, foveret,
 52 quo nihil orbis habet melius neque sanctius usquam,
 53 me miserum tristi defectum membra senecta,
 54 uxorem et natos jam cerneret ultima Thule :
 55 jam desolati extremum erraremus ad axem.

AD HANNIBALEM LYTHOLPUM

N_358 v.1 Odas Lampridii tibi remitto,
 2 bona reddere quas fide recepi,
 3 factas Pindari ad aemulationem :
 4 mehercle rarum opus atque inusitatum !
 5 Verum debeo tam tibi, Lytolphe,
 6 quam dici queat aut imaginari,
 7 illas quod dederis mihi legendas,
 8 quibus saecula nostra gloriari

9 possunt nec veterum invidere chartis.

AD STEPHANUM LAUREUM AMARFORDIENSEM

N_359 v.1 Ursam si videas Bononiensem,
 2 non ursam, sed amabilem Camillam,
 3 urbis Felsineae decusque saeculi,
 4 quam laetabere gratiasque divis
 5 ages, Lauree, quod tuis ocellis
 6 tantum dii dederint licere, tantum
 7 conspexisse boni ! Videbis Arcton
 8 quae caeli reliquas faces minutas
 9 obscurans proprio nitore inumbrat,
 10 et flammam ciet intimis medullis.
 11 Gemmas aspicias, rosas rubentes ;
 12 admirabere candidas pruinas,
 13 verba et purpureo exeuntia ostro.
 14 Cui postquam dederis meam papyrum,
 15 dic : "Te - dic - cupit Archius perenne
 16 commendare suis, Camilla, chartis.
 17 At si non licet, obsecrat quod alti
 18 saltem affectum animi probes benigne
 19 et parcas calamo suo arroganti."

AD VOLCADIUM. ODE

N_360 v.1 Volcadi, tibi quis scelus hoc persuasit, amici
 2 ut scripta amata perderes ;
 3 scripta mei numquam satis admirata Triphonis,
 4 labore lecta maximo,
 5 Fulvo auro pretiosa magis viridique smaragdo,
 6 qualem aequor Indicum tulit ?
 7 Scilicet ut scombris tunicas garoque parares
 8 daresque caseo togam ?
 9 Haec promissa fides : haec sunt mandata tibi quae
 10 dedi rogans et obsecrans,
 11 ut gemmas inter servares, digna perenni
 12 Cedro vel arca eburnea ?
 13 Gratia nil fortunati gravitasve Triphonis
 14 his, impudice, profuit ?
 15 Infelix, quis te manet exitus ? Irruet in te
 16 atrox iambus, irruet ;
 17 invisusque bonis laqueo vitam, improbe, claudes,
 18 vel igne dilues notam :
 19 aut si non homines curant tua facta nephanda,
 20 Dii non inulta liquerint.

AD FRUTICENUM

N_361 v.1 Quam me munere, quam tuo beasti
 2 qui mixti Althameri sacrum libellum
 3 excultum, Fruticene, et eruditum !
 4 Dii boni ! ut loca dissidentia almae
 5 scripturae facili negotio aptat !
 6 Quantum conveniunt bene ac cohaerent
 7 qui prima facie tenus videntur
 8 inter se male convenire sensus !
 9 Nec malim mihi fulgidos pyropos,

10 auri aut pondus ab India tulisses.
 11 Hunc desiderio nitentiore
 12 ardentique animo diu cupivi,
 13 multo commodo et usui futurum.
 14 Est testis Stephanus tuus meusque
 15 Amars - Laureus ille Fordiensis,
 16 ut communis amoris est sequester.
 17 Hinc ago tibi gratias perennes,
 18 non ut debeo, verum ut ipse possum,
 19 et te constitui remunerare
 20 digno munere et elegante amicum,
 21 cum per Pieridum otium licebit.
 22 Interim te ego candidum probumque
 23 imo pectore conditum tenebo :
 24 nec te oblivio vellet ullave aetas.

IN HYEMEM

N_362 v.1 Tristis hiems, caeli rabies et dedecus anni,
 2 quam te conspicio invitus nive tempora cana
 3 horrida conspersam ! Quam te, foedissima rerum,
 4 odi consputam squallentibus ora pruinis
 5 innexamque comam glacie impexosque capillos !
 6 Ut mallet coleres Scythiam Maeoticaque arva
 7 regnaque Riphaeo supposita nivosa tyranno,
 8 aut peteres Tanaim aut glacialis litora ponti !
 9 Optarem nostrum numquam te invisere caelum :
 10 namque ego te matrem Eumenidum mortisque sororem
 11 crediderim, emersam diris de faucibus Orci,
 12 tempore quo Iapetum tellus saevumque Thyphoea
 13 progenuit, vel cum pestes immisit acerbas
 14 Juppiter, ulciscens audacis furta Promethei.
 15 Tu Phoebos invisa es : fugiens te vix videt et se
 16 Oceano condit magno ; tunc ima pererrat
 17 signa, brevesque dies et lucem apportat iniquam.
 18 Tunc circumfusus contristas nubibus orbem,
 19 nec per te apparent duratis gramina pratis.
 20 Tunc foedae rerum facies et mortis imago :
 21 exspoliata suis viduatur honoribus arbor
 22 atque, olim celeres, cursus frenantur aquarum.
 23 Te duce concursant impacato aere venti :
 24 prosternunt silvas animosi et proelia miscent.
 25 Heu male quam teneras defendunt lignea citros
 26 tecta : suis arent morientia citria ramis !
 27 Agricolae ignavi ducunt longa otia tectis
 28 ante focum, nec se pastor magalibus effert,
 29 nec maria exercet suspensis navita velis ;
 30 Strymoniaeque grues fugiunt et tranat hirundo
 31 aequora, nec nostris audet se credere terris.
 32 Quid dicam quales etiam contraria vitae
 33 humanae inducas diversos frigore morbos ?
 34 Nam mentes hominum cogis torpere veterno
 35 et patulas resonis imple tinnitibus aures,
 36 naribus et per te salsus liquor effluit ore.
 37 Ipsa gravi quassas mortalia pectora tussi
 38 articulosque secas contractis noxia nervis.
 39 Es mihi nunc etiam nodosam excire podagram
 40 ausa - scelus ! - Quae me assiduis cruciatibus angit
 41 nec patitur dulces Musarum carpere fructus
 42 aut tectis efferre pedes. Huic arida febris

43 it comes et misero nativum perbibit humorem
 44 exhauritque suo vitalem fonte calorem ;
 45 usque adeo insinuat sese et pede labitur imo
 46 humor agens morbum et tendit gravis usque deorsum :
 47 ut torrens auctus nivibus de monte solutis
 48 aut pluvia aut verna liquefactis flatibus aurae,
 49 aggeribus ruptis, claustra indignatur et omne
 50 indupedimentum tollit, secum omnia volvens,
 51 et pecus et dominos et raptas cum lare silvas.
 52 Non herbae aut fomenta queunt lenire dolorem :
 53 ora cibi, placidi sunt nescia lumina somni,
 54 praeque dolore sitis fauces exsiccat anhelas
 55 et semper querulae volitant ad sidera voces.
 56 Fortunatae, hiemem quae nescivere malignam,
 57 fortunatae iterum gentes quas aspicit aequis
 58 sol oculis spectatque nitenti Juppiter astro
 59 arridens ! Illis non sunt obnoxia morbo
 60 corpora, sed longa solvuntur fessa senecta.
 61 Tantum fecundi demittit Juppiter imbris
 62 atque homines caelique bibunt violaria rorem,
 63 unde etiam gens illa extentum durat in aevum.
 64 Illis perpetuum ridet ver : mense decembri
 65 exsultat laetus volucrum concentus in agris ;
 66 formosa aeternis vestitur floribus arbor
 67 et rosa semper hiat vernans, clementia caeli
 68 quam fovet et tepidis demulcent flatibus aurae.

IN FUNERE LEONARDI VELSII VIRI CLARISSIMI. ODE

N_363 v.1 At tibi nil probitas, nil bello cognita virtus
 2 profuit, aut grave rebus agendis
 3 consilium : nec te Romani gratia regis
 4 et spectata fides in utraque
 5 fortuna potuit crudeli absolvere Parca,
 6 aut adamantina flectere fata.
 7 Ipse jaces, Velsi ; Velsi, te maesta Vienna
 8 compositum tenet ossa sepulchro
 9 exiguo. Brevis urna capit quem saepe phalanges
 10 lunigerae tremuere sequentem :
 11 quem nulli ingenio, nulla tentata prius vi
 12 expugnantem moenia Paesti,
 13 et sita captantem praeruptis oppida saxis
 14 Pannonii obstupuere feroces,
 15 atque manu toties fundentem ingentia parva
 16 agmina Danubius prope litus
 17 sanguine purpureum vidit, taboque fluenti
 18 corpora equum fluitare per undas,
 19 illusasque auro vestes ensesque retortos
 20 spumoso versarier alveo :
 21 quum virtutem animi invicti praestantiaque ausa
 22 totque emiraretur honores
 23 herois, referens extremae Tethyos undis
 24 Neptuno Oceanoque parenti.
 25 Nil morti intactum est : aequa metit omnia falce ;
 26 de victricibus orbe triumphat
 27 exuviis nec scuta timet galeasque nitentes,
 28 nec foribus suffixa tropaea.
 29 Sic neque pugnacem clypeus loricave texit
 30 Hectors, cum corpus laniatum
 31 ipse ferus circum Trojae raptaret Achilles

32 moenia, Laomedontis honorem.
 33 Quod ni selectis animis dii praemia caelo
 34 virtuti et proposuissent,
 35 quam coetus inter mortales degere, quam tot
 36 fortunae mala perpeti iniquae :
 37 quam tot amicorum mortes, tot furta videre,
 38 tot fallacum hominum impia facta,
 39 esse maris malim scopulus quem verberet unda,
 40 Alpibus aut posita ornus in altis,
 41 conflictata Notis, hiems sub tempus aquosae
 42 nubila cum dissolvit Orion.

IN EIUSDEM TUMULUM

N_364 v.1 Ne sis nescius, hospes, hoc sepulchrum est
 2 Velsi, consilio manaque prompti,
 3 quem fert aethera ad usque fama vivax ;
 4 cujus morte dolere Ferdinandum
 5 an gaudere magis Thracem tyrannum
 6 incertum est : adeo hic fuit duobus
 7 formidabilis huic et illi amatus.

DE EODEM

N_365 v.1 Velsius est illo sublatus tempore, Parthos
 2 cum posset regno trudere Pannonio.
 3 Invida virtuti Velsi et fuit aspera regi
 4 sors : in utrumque tamen nil modo juris habet.

DE EODEM

N_366 v.1 Adscriptus numero est divum caeloque relatus
 2 Velsius : illius sic pia facta petunt.
 3 Prosequi eum lacrimis abeuntem parcite, amici :
 4 flere illum magis est quam dolor invidia.

AD EUNDEM

N_367 v.1 Quod te surpuerit nemo ausit dicere, Velsi,
 2 fatum importunum : dicere namque nefas.
 3 Cum tot enim facies vitiorum incumbere terris
 4 cerneret et scelerum confluere omne genus :
 5 "Nil tibi cum terris, Velsi - inquit - te tuus auctor
 6 postulat, augescas caelicolum ut numerum".

AD EUNDEM

N_368 v.1 Militia et probitas deflent tua funera, Velsi,
 2 nec vidit siccis rex tua fata oculis.
 3 His tribus est aequus dolor : at quis fecerit horum
 4 majorem jacturam hoc obitu, ambiguum.

DE EODEM

N_369 v.1 Hic probus et prudens ; ultra si scire, viator,
2 quaeris, hic posuit Velsius exuvias.

DE EODEM

N_370 v.1 Non est interitus mors rectis : altera vita est ;
2 mors Velsi vita est atque alia atque alia.
3 Romano hic regi vixit carissimus olim :
4 tam spectata fides, tam benefacta valent.
5 Nunc caelo fruitur ; doleat neque gaudeat ullus :
6 aut regi doleat, gaudeat aut superis.

AD EUNDEM

N_371 v.1 Optarim ipse tuos, Velsi, aeternare triumphos,
2 si desiderio par mea Musa foret.
3 Tu tamen ipse tuis vives, clarissime, factis :
4 si taceant alii, Thrax, Scythia, dicet Arabs.

DE EODEM

N_372 v.1 Parthorum terror, regis dolor et decus orbis,
2 quod mortale habuit Velsius hic posuit.
3 Ast animo illius qui non sua praemia caelum
4 jam tribuisse putat, nec plus esse potest.

AD EUNDEM

N_373 v.1 Plus fuit Austriacis tibi quam fortuna molesta,
2 Velsi : namque illis instar eras clypei.
3 Nunc habet ipsa nihil sors quo te laedere possit,
4 sed quam multorum est unius interitus !

AD EUNDEM

N_374 v.1 Invida cum tibi nil, Velsi, potuisse nocere
2 Mors videt, infrendens dentibus ista refert :
3 "Siccine profeci, Velsi, ut tua fama per orbem
4 notescat volitans et magis atque magis ?
5 Ut te victuris longo post tempore chartis
6 norint atque una atque altera saecla diu ?
7 Siccine defunctus victa de morte triumphas ?
8 Quam satius tantum non licuisse fuit !"
9 Dixit et ingemuit tanto confecta dolore :
10 non alio optavit tempore Parca mori.

DE EODEM

N_375 v.1 Romani regis dolor hic est Velsius heros,
2 quem prope Danubium maesta Vienna tegit.
3 Pannonius furor hunc norat ; compresserat armis
4 saepe Thracas, Scythicas gesserat exuvias.
5 Utque triumpharet de tot fera Parca triumphis,
6 huic uni proprias abstulit exuvias.

AD FRASTORIUM VERONENSEM

N_376 v.1 Frastori, unice candor Italarum
 2 Musarum et pater eruditionum,
 3 hoc a te rogo quam mage ipse possum,
 4 quam quisquam potis est rogari amicus -
 5 tibi ni sim oneri et nimis molestus -
 6 Velsi ne pigeat tui ergo amici,
 7 seposito studio severiore,
 8 nomen factaque posteris referre.
 9 Postquam Velsius, ille Velsius quem
 10 Rex Romanus amabat et fovebat,
 11 omnis militiae sciens et amplis
 12 natus consiliis negotiisque,
 13 nuper Pannoniae jacet Viennae,
 14 cum desiderio sui relicto,
 15 illum faucibus e tenebricosae
 16 mortis subtrahe temporisque edacis :
 17 potes namque anui sacrare famae
 18 quicquid vel celebrare amas vel odis,
 19 ut compar patrio es tuo Catullo.
 20 Ergo manibus illius parenta,
 21 docto carmine et elegante digni,
 22 de cunctis meriti bene ac honeste ;
 23 ingrato ut caput exserens sepulchro,
 24 longo tempore post, tua papyro,
 25 clarorum volitet virum per ora.

DE EODEM

N_377 v.1 Vienna, huic bona verba dic sepulchro :
 2 optate his, pueri, ossibus quietem.
 3 Velsium hic tumulus tegit sepultum,
 4 cui vos tam benedicere haud potestis
 5 quam vobis benefecit omnibusque.

DE QUERCU IN EIUS SEPULCRO POSITA

N_378 v.1 Hanc quercum in Velsi suspendit honore Vienna
 2 servata et toties libera ab hoste truci.

DE LAURO

N_379 v.1 Laurum hanc quae tumulum virens inumbrat
 2 Velsi perpetuam indicare famam
 3 quis neget ? Viret et diu virebit
 4 insignis probitate, clarus armis,
 5 ut laurus foliis perenne vernat.

DE POPULO

N_380 v.1 Populus aerias quantum consurgit in oras,
 2 tantum actis clarus Velsius astra petit.
 3 Idcirco tumulo illius quae populus adstat
 4 excelsumque animum summaque facta refert.

AD EUNDEM

N_381 v.1 Quod Velsi caelum rapuit, quod terra recondit,
 2 sunt reditura iterum, sed potiora simul.
 3 Sic fati imperio purgantur corpora ; sic mens
 4 inter sidereos fit mage pura choros.
 5 Ergo, nisi invideat, quisquam non defleat illum,
 6 splendidior cunctis qui rediturus abit.

N_382 v.1 Leonardus Velsius
 2 quod mortem vita commutata iverit,
 3 cetera laetus : hoc dempto,
 4 quod in romanorum regem optima officia,
 5 in omnes bonos beneficia
 6 explere nequiverit.

AUSPICATUR VICTORIAM CAESARI CAROLO QUINTO. ODE

N_383 v.1 Inger ingentes pateras, minister,
 2 et rosa undantem Bromium corona ;
 3 his dapes festas simul apparato,
 4 non sine cantu.
 5 Affer argutam citharam chelymque
 6 huc, ubi ad fontis caput Hydroelli
 7 quercus atque ilex sociata densas
 8 explicat umbras.
 9 Caesaris jam jam video triumphum ;
 10 jam tubas audire licet sonantes,
 11 jamque "Io" et voces resonare ovantum
 12 litus ad Histri,
 13 qui coloratis violenter undis
 14 sanguine involvit galeas virosque,
 15 utque equum divae in gremium marinae
 16 corpora versat.
 17 Barbarus sensit quid Hiberus audax,
 18 quidque equo possit metuendus hasta
 19 Belga, quid testata patrum vigorem
 20 Itala pubes.
 21 En petit supplex veniam rebellis
 22 Teutonus ; jam langravium inchoati
 23 paenitet belli, solida revinctum
 24 colla catena.
 25 Ille - nam dii sic voluere laesi -
 26 quod sacras auro spoliavit aras,
 27 templa dejecit, simulacra diris
 28 ignibus arsit,
 29 sensit ultorem scelerum Tonantem :
 30 nam sui oblitus, rationis expers,
 31 in deos vana temerarius vi
 32 arma paravit.
 33 Militem nullo procul aere duxit :
 34 Caesarem huic sese fore polliceri,
 35 dum coruscantis Jovis arma jactat
 36 nulla timere,
 37 nescius quantum pater ille divum
 38 fulminet telo horribili profanos,

39 aethere extollens humiles, superbos
 40 trumat ad Orcum.
 41 Ergo quid lex religiove spreta
 42 sanctio aut possit temerata patrum ;
 43 quid fides fraudata, quid ira justa
 44 Caesaris, ipse
 45 viderit. Tuto at mihi nunc licebit
 46 Dronium siccare merum meique
 47 Caesaris laudes resonare plectro
 48 utque loquaci.

AD DIVAM VIRGINEM

N_384 v.1 Candida virgo ,
 2 ut rosa vernans,
 3 lucida caeli
 4 porta sereni,
 5 sidus amicum
 6 erra(t) opaca
 7 per freta nocte :
 8 defer ad aures,
 9 Diva, Tonantis
 10 haec pia vota
 11 corde profecta.
 12 Ipse petita
 13 Matris amatae
 14 audiet aequa
 15 aure benignus.
 16 Fac, dea, justam
 17 mitiget iram
 18 promptaque ponat
 19 fulmina clemens.
 20 Inserat illam
 21 quam dedit olim,
 22 dum petit astra,
 23 pectore pacem,
 24 quam neque turbant
 25 proelia mundi
 26 nec ferus hostis
 27 insidiator
 28 eripit audax.
 29 Sacra libido
 30 et sitis auri
 31 exsulet a me.
 32 Sit mihi candor
 33 mentis, et omnis
 34 invidia absit,
 35 et Venus in me
 36 frigeat ardens.
 37 Nec meus error -
 38 plurimus error ! -
 39 Illius umquam
 40 provocet iram.

AD EAMDEM

N_385 v.1 Sic me Phoebus amet, sic cingat tempora lauro,
 2 sic quaecumque opto singula perficiam,
 3 ut sincero animo quae dicam ex tempore de te

4 deque tuis numeris non simulata loquar.
 5 Iudicium est nostrum, sedet haec sententia menti :
 6 aeternum si quod ceperis, efficies.
 7 Amoniae arte fidis, versuque eris aemulus Orphei :
 8 post te his qui fuerint liqueris invidiam.

NICOLAUS COMES ARQUENSIS IACOBO VARGNANO VIRO INTER POETAS CELEBERRIMO

N_386 v.1 O decus vatium, venerande flamen
 2 qui meas tollis super astra Musas,
 3 qua pari grates referam Camena
 4 ordine sacro ?
 5 Tu colis silvas, nemus et Lomasi,
 6 urbibus dignus potius locari ;
 7 tu sacra caelebs Heliconis undas
 8 ducis ad antra.
 9 Te pater Phoebus decorat corona
 10 laurea, crines simil ipse myrtho
 11 nectit intonsos, et amata fundit
 12 pocula late.
 13 Omnis exsultat per amoena rura :
 14 ad tuum nomen properant Napaeae
 15 et legunt rubras violas canistris
 16 in tua sarta.
 17 Ova, gallinas referunt puellae ;
 18 tu canis Christi meritos triumphos :
 19 cum tuis psalmis, canticis et hymnis
 20 pulpita scandis.
 21 Te Deus terris habitare dignum,
 22 aureum ut tandem videamus orbem ;
 23 te duce optamus cherubim videre
 24 flammicomantem.

AD SUOS OCULOS

N_387 v.1 Quid tot, procaces, lacrimis sinus frustra
 2 rigatis, oculi ? Quid cruore manatis ?
 3 Hoc est, quod inquit ; sapere Phrygas sero.
 4 Tum lacrimari, tum dolere oportebat,
 5 quum vos, scelesti, meque perditum iretis.
 6 Quoties rogavi, dicite, quoties supplex
 7 per me obsecravi per measque fortunas,
 8 ut haec rosetis aequa labra Paestanis
 9 vultumque cerni lubricum caveretis !
 10 Nil me, scelesti, miseret aut piget vestri ;
 11 cordis dolet solius, quod modis miris
 12 poenas furoris innocuum luit vestri.

PEDIBUS SUIS

N_388 v.1 Amabo, quo me, lassuli pedes, fertis,
 2 vix sustinentes semimortuum corpus ?
 3 An ad cruentum limen, ad fores illas
 4 ubi hanc miselli paene liquimus vitam ?
 5 Quid ah, quid ultro convolatis ad mortem ?
 6 Quid sponte in acres ponitis manum flammis ?
 7 Ni vos - sed olim viderit sator divum -
 8 tot ejulatus lacrimasque pertaesi,
 9 utcumque tantis quaeritis malis finem.

DE TRIBUS DECIIS

N_389 v.1 Tres Decii Romae nascuntur. Numina nasci
 2 jure illos alio non voluere loco.
 3 Sed dum se patriae sic devovere, videntur
 4 nec melius nasci nec potuisse mori.

AD CHRISTOPHORUM MADRUTIUM

N_390 v.1 Ornasti egregio me munere, optime princeps,
 2 Musarum et Latiae gloria certa togae,
 3 dum mihi das nummum, fateor, mi tale merenti,
 4 qui mira vultus exprimit arte tuos.
 5 Verum utinam tanto cum munere et illa dedisses
 6 aurea dona tui pectoris atque animi :
 7 his etenim regum superarem sceptris, beatis
 8 parque forem, si fas dicere, caelitibus.

DAPHNE AD ILLUSTRUM DOMINUM LUDOVICUM LOTRONIUM COMITEM

N_391 v.1 In laurum volui, puella quondam,
 2 mutari, ut fierem corona victrix
 3 divo Lotronio, et caput sacratum
 4 cinxi pluribus : inclytum triumphum !
 5 Quo raptis, supero volente fato,
 6 in primam volo nunc redire formam.
 7 Dignus munere nullus imperator
 8 isto est amplius : o, valetis, lauri.

IN CUPIDUM

N_392 v.1 Inventum reserat dum forte alveare Cupido,
 2 surripit et dulces improbus inde favos,
 3 concita apis, saevasque acuens stridoribus iras,
 4 infixit digitis spicula marmoreis.
 5 At puer, ut stimulos virosi vulneris hausit,
 6 errat, et alterno flens pede pulsat humum ;
 7 cumque manum visae potuit praetendere matri,
 8 altum ait : "Hoc vulnus parvula fecit apis ! "
 9 Olli subridens Venus aurea : "Tu quoque - dixit -
 10 vulnera, sis quamquam parvulus, alte adigis."

IN DONATUM

N_393 v.1 Callidus ancillae pariendi tempus amatae
 2 Donatus numerat ille futuricius.
 3 Post, ubi bis septem ad partum caruisse videbat,
 4 ille dies foetus supputat alterius.
 5 Substitit inde parum, facta et numerosa rependens
 6 hos sibi maestificos edidit ore sonos :
 7 "Heu nimiumque salax, dum posticum peto misit,
 8 ante diem foetum jure pudica fuit."

IN PUERUM DISTICON

N_394 v.1 Me pater exstinxit : mihi dulcem tradere vitam
2 dum cupit, ante diem mentula causa fuit.

IN QUENDAM ASPICIENTEM GUTTUR FILIAE (A)

N_395 v.1 Dum pater aspiceret nodum sub gutture neptis,
2 illico mentitum credidit esse virum.
3 Anxius ad natam se contulit ; illa cubabat
4 cum nepte ejus : has vidit et errubuit.
5 Demens ! Si sua furta Venus vult prodere, casta
6 non erit ulla : modis fallere mille potest.
7 Certior ut fieret quid erat, vel femina, vel vir,
8 debuit huic enses et posuisse colos.

RESPONSUM AD INSTAR (B)

9 Si pater aspexit nodum sub gutture neptis,
10 dulces dum traheret semisupina moras,
11 anxius hanc natae non credidit esse maritum :
12 sed videt ipse genas et juvenile femur.
13 Demens, si vellet tam miri munus Amoris
14 perdere ! Namque modos mille ministrat, Amor.
15 Certior ut fieret, vel Achillis more Pelasgi,
16 imposuit penem, misit et illa colum.

IN IULIANUM SCOLASTICUM

N_396 v.1 Facundissime Juliane, parce
2 illi nomine quem refers magistro,
3 causas linquere te decet forenses,
4 furenses potius, malasque lites
5 et ludum reserare tam molestum.
6 Nam te uxoria - ut audio - tenet res
7 vacantem, puto, liberis creandis,
8 ne quicquam sterile aut rude aut ineptum
9 naturam peperisse cogitemus.
10 Aeternum hinc tibi comparare nomen
11 natorum serie potes beata,
12 propagans patriam et tuos penates.
13 "O factum bene" - te, improbet popellus,
14 dum laudent sapientiae magistri.

VOTUM PUERORUM AD DIVUM NICOLAUM

N_397 v.1 Praesidium et tutela chori cui credita docti est,
2 unica nautarum spesque salusque, pater,
3 buxiferi decus et sacri custodia montis,
4 aequora Benaci qui procul ampla vides,
5 salve, et sulcantes ventis fallacibus undas
6 dignare in portum restituisset rates.
7 Effice nos dociles, dociles nos redde magistro :
8 a ferulis teneras subtrahe, dive, manus.
9 Respice nos praesens, facilisque illabere caelo,
10 simplicis excipiens cerea dona gregis.
11 Prandinus precibus supplex exorat honestis :
12 orat Prandinae tota caterva scholae.
13 Sic semper meritos aris reddemus honores ;

14 sic sacris sexta luce decembris erit.

INSIGNIA VARGNANORUM

N_398 v.1 Clara vides, hospes, insignia, clara parentum
 2 stemmata : Vargnananis nunc claret alta domus
 3 haec sibi purpurea quam gestet fronte corona
 4 decerpsit liber, detulit atque libens.
 5 Haec sibi servavit, nec te servasse pigebit :
 6 vina coronati nos tibi sacra damus.
 7 Et tua perpetuum servarunt munera nomen,
 8 Vargnanae genti, traxit et inde caput.
 9 Quod ubi servata vidit insignia Caesar,
 10 numinis hunc dono nec derogasse puta.

AD AQUILAM

N_399 v.1 Ut superat cunctas titulis avis ista volucres,
 2 sic cunctis Caesar regibus orbe micat.

IN GALORUM REGEM

N_400 v.1 Superbe Galle, qui nivosa montium
 2 male auspicatus evolas cacumina
 3 [LACUNE]

IN FLABELLUM CHARTACIUM

N_401 v.1 Haec ventos aestate, hieme haec quoque suscitatur ignes,
 2 charta duplex, duplici prompta ministerio.

IN INCOMPARABLEM MATRONAM DOMINAM REGINAM ARCI COMITISSAM

N_402 v.1 Castus amor terras habitat cum conjuge Paulo
 2 Reginae, et numquam dissociata fides.
 3 At caelum repetit benefactis spiritus ardens,
 4 gaudia ubi aeternum cum Jove junctus habet.

IN ILLUSTRISSIMUM DUCEM URBINI

N_403 v.1 Quo magis, aut vita, Francisce, aut morte potita
 2 laeteris, dubito : sed puto morte magis.
 3 Mors etenim certos tibi non largita triumphos,
 4 quos facere incertos haec vaga vita solet.

IN MATRONAM

N_404 v.1 Matronae puerique pauperesque,
 2 numquam tam benedicere huic potestis
 3 quam vobis benefecit hoc cadaver.

IN EANDEM

N_405 v.1 Flet probitas, dextra fides : Madrutius heros
2 ereptam fato plorat acerbo Helenem.
3 Par dolor est illis, at quisnam fecerit horum
4 majorem jacturam hoc obitu, ambiguum est.

IN EANDEM

N_406 v.1 Invisas Helene liquit Madrutia terras
2 tam cito cur ? Terras numina non habitant.